Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Philipp Friedrich Hane

Sermones De Tempore : In Qvibus Miræ Rerum Humanarum Vices, Inversusqve Circa Easdem Fatorum Ordo, In Eventibus Maximis Æqve Ac Minimis Conspicuæ, Considerationi Tum Historicæ Tvm Theologicæ Subjiciuntur

Kiliae: Litteris Gottfr. Bartschii, MDCCLXVI.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1782333827

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1782333827/phys_0001
DFG

K. K. 2 (139.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1782333827/phys_0002
DFG

1. Conradi, de voluntate testatoris dubia ob errorem in nomi-
nem vel demonstratione heredis aut legatarii commissum.
2, Conradi, qua cautione de non amplius turbando in judi-
ciis possessoriis usu fori recepta pertractatur.
3. Conradi, de modo servando in legatorum piorum in-
terpretatione.
4. Conradi, de civitate nova.
5. Conradi de regno et tyrannide.
6. Cothmann, de delictis privatis.
7. Cothius, de nundinationibus honorum.
8. Cramer, de minoratu in familiis illustribus.
9. Heineccius, qua uxor romana per propter nuptias
donationem de alimentis secura tantum.
10. Gerdes, assertationes juris publici
11 Kress, de debitis ex feudis praecipue pomeraniae sol-
vendis
12. Wernher, de successione in simultaneam investituram
13. Rivin, de praerogativis creditorum cambialium prae
chirographariis.
14. Rivin, thesium juris controversi secundum Ordinem Dig.
CXXXVIII — CXLVII.
15. Rivin, de patre vel marito impensas in personas risue
uxoris vel liberorum factas repetente
16. Rivin, de emtionis venditionis et alienationis natura
ac differentia.
17. Rivin, de praediis quae vulgo Lass-Güter appellan-
tur.

18. Rivin, de finibus juris naturalis et civilis.
19. Rivin, de eurematicis in materia possessionis et compossessionis.
20. Rivin, debitor delicatus in contrario fiduciae judicio ex mente Ulpiani ad L. XXV. D. de pign. act.
21. Clasen, de consuetudinibus.
22. Clatten, de homicidiis.
23. Clatten, de testamentis.
24. Clodius, quid patrono ecclesiae debeat minister?
25a. Cludius, de publicis judiciis.
26.b. Cluten, de testamentis ~~quam~~ tam ordinandis quam infirmandis.
26. Coccejus de regali posterum jure.
27. Coccejus, de principio juris naturalis unico, vero et adequato. pars prior.
28. Coccejus — — — — pars altera.
29a. Ludvig, dubia circa hypothesin de principio juris naturae ejusdem vindicas.
29b. Coccejus, resolutiones dubiorum circa hypothesin nostram de principiis juris naturae.
30. Coelestino de usucapione.
31. Coelestino de libello famoso.
32. Coelestino de potestate dominica veteri et hodierna.
33. Coelestino, de potestate maritali et de matrimonio.
34. Coelestino de potestate patria et alendis liberis

Q. D. B. V.

SERMONES DE TEMPORE,

IN QVIBUS

MIRÆ RERUM HUMANARUM VICES, INVERSUSQVE CIRCA EASDEM FATORUM ORDO,

IN EVENTIBUS MAXIMIS ÆQVE
AC MINIMIS CONSPICUÆ,
CONSIDERATIONI TUM HISTORICÆ
TVM THEOLOGICÆ SUBJICIUNTUR.

PUBLICE DICTI

IN MUNERIS ACADEMICI PARTIBUS,

IISQVE CUMMAXIME PRÆTER ORDINEM
IMPOSITIS ET ADMINISTRATIS

A

D. PHILIPPO FRIDERICO HANE,

CÆSAREÆ CELSITUDINIS A CONSILIIS ECCLESIASTICIS
ET SUPREMI IN HIS REGIONIBUS CONSISTORII, IN ACADEMIA EJUSD.
CIMBRICA S. S. THEOLOG. ET HISTORIAR. PROF. PUBL. ORD.
COLLEGII ETIAM THEOL. H. T. DECANO.

KILIÆ
LITTERIS GOTTFR. BARTSCHII, ACAD. TYPOGR.
A. MDCCLXVI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1782333827/phys_0005
DFG

CÆSAREÆ CELSITVDINIS
IMPERIALIS CORONÆ HÆREDIS, SUCCESSORIS IN
THRONO ET TOTIUS RUSSIÆ MAGNI DUCIS,
PRINCIPIS ET DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,
SUMMÆ FIDEI VIRO,
ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMOQUE
GEORGIO CHRISTIANO
WOLFFIO,
RUTHENORUM S. ALEXANDRI NEWSKI ET D. ANNÆ
SLESVICO-HOLSATORUM ORDINIS EQVITI
AURATO,
IMPERATRICIS AUGUSTISSIMÆ,
RUSSORUM OMNIUM
AUTOCRATORIS ET MAGNÆ DOMINÆ
IN SUMMO DUCATUUM NOSTRORUM REGIMINE
TUTELARI ADMINISTRO ACTUALI,
IPSIUS MAGNI DUCIS CELSISSIMI
CUBICULI COMITI ET IN SENATU SANCTIORI
CONSILIARIO DEXTERRIMO,
ACADEMIÆ SUÆ CHRISTIAN-ALBERTINÆ
CURATORI PROVIDENTISSIMO,
DE MUNERIBUS SINGULIS MAXIME ARDUIS,
IPSI CREDITIS, MERITISSIMO,
ET IN DIES PRÆCLARE MERENTI,

INTER CÆTERA AUTEM
EX QVO CIMBRICARUM MUSARUM PRÆSIDIUM
AD IPSUM DEVOLUTUM EST,
QVAM EPOCHAM CELEBRABUNT NEPOTES,
HANC DATAM SIBI PROVINCIAM
TANTA CURA, TANTAQVE FIDE ET INDUSTRIA
ADMINISTRANTI,
UT NIHIL NON,
QVOD AD EGREGIUM EARUNDEM MODO
QVOCUNQVE FACERE POSSIT,
QVOD AD DAMNA QVÆVIS AVERTENDA
ET AD PROMOVENDA VICISSIM COMMODA
ET INCREMENTA VALEAT,
PROMPTO LIBENTIQVE ANIMO SUSCIPIAT:
IURA ET PRIVILEGIA IISDEM QVONDAM TRIBUTA
PRO VIRIBUS ET COLLATA SIBI POTESTATE
PECULIARI CONTENTIONE ET ARDORE
CUSTODIENTI ET TUTANTI,
UTQVE SUBINDE CRESCANT ET AMPLIENTUR
INDEFESSO STUDIO ET LABORE CONNITENTI,
ATQVE ADEO
OMNES ET QVASCUNQVE DIFFICILIORIS HUJUS OFFICII
PARTES INSIGNI CUM LAUDE ET SUCCESSU
ITA OBEUNTI,
UT ALMA HÆC DE FLORE SUO CONTINUO NON MODO
BENE SPERARE, SED EUNDEM VEL PROPIUS
JAM NUNC CONTUERI QVEAT:

SEOR-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1782333827/phys_0008
DFG

SEORSUM QVOD AD SEMET ATTINET,
DUM IN ACADEMICIS ET MUNERIBUS ALIIS
SIBI CREDITIS CONSENUIT,
ET VARIIS INFIRMITATIBUS SUBINDE PREMITUR,
LIBERIUS AGENDI FACULTATEM GRATIOSE INDULGENTI,
VIRES RESIDUAS SVAVIBUS DELINIMENTIS REFOCILLANTI,
EX INSTRUCTISSIMO AUTEM APPARATV LIBRARIO,
QVI RARIORIBUS ET MAJORIS MOLIS PRECIIQVE
VOLUMINIBUS ABUNDAT,
ET IN DIES INSIGNITER CRESCIT AUGETURQVE,
CURTAM, QVA IPSE GAUDET, LIBRORUM SUPELLECTILEM
PROPENSA MENTE MANUQVE SUPPLENTI,
SUÆQVE ITA UT ALIORUM INOPIÆ
EXDI VITE ISTHAC PENU PERBENIGNE SUBVENIENTI;
SERMONES HOS DE TEMPORE,
ATTENTIS BENEVOLISQVE OLIM AURIBUS
EXCEPTOS SINGULOS,
IN PUBLICAM LUCEM JAM PRODEUNTES,
CUM VOTO PROSPERITATIS OMNIGENÆ
ET IN GRATISSIMI ANIMI TESSERAM
SACROS ESSE CUPIT

AUCTOR.

B. L.

S. & O.

Vix una alteraque vice, intra quadraginta & quod excurrit annos, id a me impetrari passus sum, ut e sermonibus, pro rostris Academicis occasione sic ferente habitis, aliquos typis exscribi & ita proferri in publicam lucem permiserim. Inde ab hujus Almæ incunabulis, constituti Rhetores publici & ordinarii hanc sibi datam provinciam tam egregie exornarunt, ut illis hanc spartam integram relinquere Doctores reliqui facile fuerint adducti: in quorum proinde numerum & me venire maluisse, libens lubensque fateor. Sed tamen cum per binos fere annos isthunc apud nos locum juxta cum aliis vacare contigit, mihique vel præter ordinem etiam publice dicendi partes nuper admodum fuere impositæ: quas quidem pro iis, quibus in senili ætate gaudeo, viribus obire & ex Superiorum voluntate & jussu administrare debui; atque ex eorundem arbitrio ipsa dicendi materia data mihique sumpta sit, peculiaris hujusmodi argumenti tractatio, quæ inde nata est, ad publici juris isthanc faciendam, eandemque plurium oculis subjiciendam, me inducere denuo potuit ac vel omnino debuit.

Collibuit harum aliquot orationum farragini præfigere titulum: SERMONVM DE TEMPORE, *quod nominis dudum hæsit Patrum Ecclesiæ quorundam, v. c. Ambrosii, Augustini, Bernhardi, aliorumque concionibus, ad populum Christianum habitis: a quorum quidem tractandi scopo & proposito licet deflectat, quod in causa prorsus singulari a me dictum scriptumque est, id tamen aliis dijudicandum relinquo, annon illam de miris temporum rerumque vicissitudinibus, mutationibusque per summam rei institutam a me considerationem, eodem ac vel meliori etiam jure, nomenclatura isthac insignire fas sit? A temporis autem eventu peculiari, qui ipsi Academiæ nostræ superiori anno*

obtigit,

obtigit, in hujusce rei contemplationem primum adductus sum: qui licet in censum levioris momenti rerum ab aliis referri potuisset, mihi tamen & iis, ad quos ipsa hæc causa paulo propius attinuit, talis omnino videri debuit, quem ad animum nostrum revocaremus, & defixis in eundem oculis hæreremus. Secularis memoria, quæ inde a condita primum & ritu solenniori dedicata hac nostra Musarum sede superiori anno incidebat, eamque, ut moris est, jubilæa festivitate & publice editis lætitiæ signis exigendam & recolendam cum juberet pietas, nihil non se objecit, quod sacram hanc animis nostris conceptam destinationem impedire & prævertere potuerit.

Intra novem mensium spacium, ex imposita officiorum ratione, quæ quatuor omnino vicibus publice dicendi mihi data factaque est copia, ea quæ interea temporis nobis celebranda erant sacra secularia ita oculis animoque meo subinde obversata sunt, ut uni eidemque argumento, de mira rerum humanarum vicissitudine, & inverso quo easdem ordine incedere animadverteram, ita totus omninoque affixus essem, ut cogitationes ad alia vix ac ne vix quidem transferre potuerim. Ex instituta in hanc rem a me comparatione hujus causæ cum eventibus, qui majoris & maximi momenti mutationes post se trahere possunt, & vel in rerumpublicarùm & summorum imperiorum conversionibus oculis sese nostris conspiciendos præbent; nati mihi sunt Sermones de tempore, in quibus rem parvam hanc & levioris quidem ponderis, cum magnis aliis & maxime arduis ita componere licuit, ut ad casus improvisos & obvenientem circa easdem inversum fatorum ordinem utrinque respicere debuerim. Atque vel sic de sorte Academiæ nostratis præsente rationem simul reddere mihi visum est, ut inde intelligerent, qui vel hujus rei avidi erant, vel quorum id intererat, quid in causa fuerit, piamque destinationem nostram impediverit, quo minus solemnibus istis secularibus vacare, festosque in hanc rem jubilæi dies, prout id alibi fieri consuevit, justo tempore instituere, eosdemque ritibus consuetis exigere potuerimus. Cumque hæc omnia ex superiorum nutu & voluntate

peracta sunt, ita quidem ut sæcularia hæc sacra haut prorsus aufferrentur, sed in aliud & commodius aliquod tempus tantummodo differrentur; quæ in ipsa sermonum horum serie dicta atque nunc scripta sunt, eum in finem afferenda erant, ut indigenis æque ac extraneis de eo constaret, quid nobiscum actum sit, nostrosque ita turbarit circulos, ut taciti sic atque asymboli prorsus hancce memorabilem adeo temporis periodum transmitteremus. Atque vel sic arbitrio & jussioni Superiorum id omnino quoque tribuendum est, ut typorum beneficio publicam lucem adspiciat, quod in his ita dictis de tempore sermonibus a me annunciandum cummaxime fuit: quod & jam nunc, ut in Sermone IV. significatum est, ita propius nobis prospicere datum est, ut spem ingredi queamus, fore, ut cum restaurato & e ruinis suis denuo suscitato novo Musarum nostratium templo, submotisque reliquis, quæ gaudia hæc nostra nunc quidem remorari potuerunt, difficultatibus & impedimentis, mox terminum præfigere liceat, ubi sacris istis secularibus celebrandis rite vacare, nostramque in Deum O. M. & summos Nutricios nostrates pietatem publice testatam facere possimus.

Ut autem in prioribus quatuor Sermonibus id mihi cummaxime datum fuit, ut de facie & statu præsente Academiæ nostratis publicum interpretem agerem, idque efficerem, ut & constaret aliis, quomodo se res habeat Musarum, hanc Cimbricam earundem sedem hodie mecum colentium: ita quam subjungere allubuit bigam oratiuncularum, paulo superiori tempore habitarum, ob argumenti affinitatem haut ingratam B. L. fore confido; cum ad eundem scopum, quæ in his allata & discussa sunt, collineent. Tantum monuisse sat erit. Scribeb. Kiliæ X. Kal. Jun. a. r. s. MDCCLXVI.

SERMO I.

SERMO I.

DE

MIRIS RERVM HVMANARVM VICISSITVDINIBVS, INVERSOQVE CIRCA EASDEM FATORVM ORDINE,

IN ADITIONE

MAGISTRATUS ACADEMICI D. V. OCT. A. MDCCLXV.

PVBLICE RECITATVS.

uibus una mecum ad ætatem provectiorem venire datum est, illis nihil prius, nihil potest esse antiquius, quam ut ex longiori rerum ordine & serie, exemplis edoceantur innumeris, nihil sub sole esse stabile, sed temporum fatorumque vices ita comparatas esse, ut longe aliter eveniant, ac quidem pro connata mentis humanæ imbecillitate & ἀγχινοίᾳ sperare illas & sibi fingere licuit. Ego sane de rebus hujusmodi contingentibus sed adhucdum futuris per longiorem illam, quam divina per tot annos mihi indulsit gratia, experientiam edoctus, hanc mihi legem dudum scriptam dictamque putavi: Spes inchoare longas tibi vetitum esto. Nam ita res habet; accidit in puncto, quod non speratur in anno. Innumeras autem rerum humanarum vicisitudines per meam quidem hanc vitam contemplatus, nihil tamen novi in hac parte sub sole contigisse mihi deprehensum est; ab omni enim tempore & ab ipsius hujus mundi exordio res ita evenisse compertum habeo, ut inverso potius ordine processerint, & fines istos aut minus aut raro admodum consecutæ sint, quos vanæ mortalium cogitationes sibi in iisdem præstituerunt, atque vel maximis suis curis & sollicitudinibus anhelarunt.

Sic igitur propriam iſthanc meam experientiam amice ſatis conſpirare animadverti cum rerum ab omni ævo geſtarum hiſtoria: quæ cum vitæ magiſtra & veræ ſapientiæ promocon-da ſit, mihi non tantum ex naturali quodam inſtinctu jam inde a teneris curæ cordique fuit, ſed quam etiam nunc a quadraginta retro annis ſuperiorum voluntate publice docere juſſus, omni contentione & ſtudio in id enixus ſum, ut aliis eandem voce ſcriptisque traderem, atque vitæ morumque præcepta & regulas ex illa depromerem, quæ illis æque ac mihi inſervire & uſui eſſe poſſent. De tanta autem rerum omnium viciſſitudine, de inverſo iſthoc ordine, quo res univerſi hujus utplurimum ſuccedere intelligimus, non propria tantum & aliena experientia, ſed & alterum illud, quod nobis datum divinitusque conceſſum eſt, cognitionis humanæ principium veritatem hanc non minus diſerte loquitur, eandemque confirmat & extra omnem dubitationis aleam collocat. Illud namque, quod de hac cauſa ex larga quotidianorum eventuum farragine nobis cognoſcere datum eſt, atque adeo ex naturæ libro & rationis ſanioris principio haurire licuit, idipſum alter ille revelationis a Deo immediate propiusque acceptæ fons, ille divinitus nobis datus ſcripturæ liber & ipſe quoque non modo teſtatur, & largiorem non minus exemplorum ſegetem ſuppeditat, ſed & ad ipſam originem & cauſas ſimul adducit, unde id mali profluxerit, ut omne genus humanum iſthac incertitudine prematur, nec firmum & ſtabile quid in deſtinationibus ſuis quibuscunque ſibi promittere queat. Lapſus namque ille primorum parentum, a quibus omne genus hominum originem ſuam traxit, quique labem iſtorum primævam & originalem ad omnes, quotquot ex iis nati ſunt, transmiſit, pro prima & ultima cauſa omnino habendus eſt, e qua ut omne miſeriarum genus, ita & rerum humanarum tot viciſſitudines, tot

incerti

incerti eventus, qui ut quotidie contingunt, ita ab ista, quam supra diximus, mentis humanæ imbecillitate & ἀγχινοίᾳ haut quaquam prospici & prævideri possunt, tanquam ex primo suo fonte, maximo quodam jure suo derivantur. Hæc ipsa & altera, quæ theologica hujus argumenti consideratio est, atque adeo ad alteram muneris mihi demandati partem propius pertinet, non indigna proinde habebitur, ut illam subinde respexerim, cogitationesque meas ad eandem retulerim, atque cum priori illa, quam philosophicam dicere licebit, conjunxerim. Non igitur putem extra oleas me vagatarum, aut falcem immissurum in alienam messem, quando pro hujus diei ritu & consuetudine aliquid mihi dicendum est, si in eodem hoc argumento maneam. Id autem mihi præmonendum erit, tum materiæ hujus amplitudinem & prolixitatem, tum ætatis meæ conditionem ipsam & animi corporisque virium, quæ illam commitatur, imbecillatatem mihi haut permissuras esse, ut omnia hæc pro rei dignitate persequi mihi liceat. Quod æqui bonique consulent, qui forte disertius ornatiusque me causam hanc edisserentem audire maluerint: a quibus tamen propter allatas modo rationes veniam facilius me impetraturum confido, quam ut gratiose & benevole mihi tribuant, omnes, quotquot adsunt, A. O. O. H. humillime, officiose, peramanterque rogatos volo.

Ut in argumento prolixissimo, quod infinitam dicendi copiam sufficit, mox compendium aliquod faciam, intra istos cancellos me continebo atque nihil afferam, nisi quod me vivente contigit; cujus rei memoria hinc ita mihi præsens & in promtu est, ut vel ipsemet tantorum eventuum testem sat idoneum me gerere possim. Sed & in hac parte non ultra præcipua quædam specimina in medium proferenda ut adscendat

mea oratio, mihi integrum erit. Dabo autem operam, ut ex binorum hodie in Europa maximorum imperiorum converſionibus eadem repetam, atque ex illorum numero depromam, quæ illuſtriori quodam præ aliis loco ſunt poſita, proindeque cauſam iſtam, quam mihi probandam ſumſi, ita omnium oculas & animis ſubjiciant, ut ad præbendum iis adſenſum non modo facile pertrahantur, ſed vel omnino rapiantur.

Agedum igitur primo & principe loco in ſcenam prodeat Germania noſtra, omnium communis patria, quæ inter reliqua orbis cultioris imperia ex longiori tempore dudum eminet atque hinc vel eminentiora viciſſitudinum mutationumque ſpectacula omnino præbet & noviſſime omnium præbuit. Hic enim quid nobis evenire potuit magis inexpectatis, quam illud ſupremum caput, illum cariſſimum patriæ patrem, auguſtiſſimum illum Imperatorem & monarcham Franciſcum I. amittere, idque in eo temporis articulo & momento, quo lætioribus familiæ ſuæ auguſtiſſimæ incrementis aderat, ubi omnia illi ex voto ſuccedebant, ubi in optimo adhuc ætatis flore conſtitutum & vegeta firmaque adhucdum valetudine illum gaudentem contuebamur, ubi nec unquam cum graviori quodam morbo eundem colluctatum ac vel olim vel noviſſime quidem tentatum eſſe nobis compertum erat. Subitum ſane & inopinum illud fatum, quod ſummum hunc orbis monarcham ex ipſis filii primogeniti & ante ſesquiennium electi ſucceſſoris digniſſimi brachiis ſurripuit; quod e conjugis incomparabilis & unice deamatæ amplexibus ita eum avulſit, ut nec ultimum vale eidem dicere potuerit; quod reliquæ prolis auguſtiſſimæ, numeroſiorisque oculis & conſortio ita ex improviſo eundem ſubduxit; quod & ſic ut auguſtali familiæ & quotquot illi ſanguine & agnatione conjunctæ ſunt, ita & omnibus totius Germaniæ

maniæ civibus, ob tam cari capitis & patriæ patris desideratissimi jacturam ita inopinato factam, acerbissimum dolorem & luctum intulit: hoc, inquam, fatum, quod novissime omnium nobis obtigit, & ante omnium oculos & animos adhuc dum versatur, fragilitatis & vicissitudinis rerum humanarum documentum ejusmodi & testimonium est, quod vel unicum sed & supremo omnium loco positum id comprobet, quod continua quadam mea & aliorum contemplatione dignum existimavi. Sed non ipsa tantum mors, sive repentina & subitanea, sive lentiori gradu illa procedat, atque ultima semper rerum humanarum linea est, sed & qui eandem comitantur & quos adjunctos sibi habet eventus, non minus ut ad eosdem animum nostrum adjiciamus merentur.

Subsistamus igitur adhuc in ea, quam modo cœpimus, Germaniæ nostræ contemplatione, & eas, quæ intra hujus seculi decursum summi ejusdem imperantes subierunt, vices mente revolvamus. Ego quidem intra hoc vitæ meæ intervallum sex jam Cæsares Augustos numero, quorum sceptro me subjectum fuisse probe recordor. Leopoldum I. hujus nominis, anno hujus seculi quinto vita functum, exceperunt bini filii gloriosissimi Josephus & Carolus VI. quos deinde secuti sunt Carolus VII. & Franciscus I. in cujus locum filius, quem modo diximus, Josephus II. post concordem prima vice omnium Novem-Virorum electionem, anno superiori tempestive factam, felicibus, quod precamur, auspiciis nuper admodum successit. Sexies ille summorum imperantium me quidem vivente mutatus numerus, vel ipse hoc jam singulare habet, quod toties illas repetitas vices una mea ætas attigerit; quod nullus ex Augustorum illorum numero ad septuagenarium, quem ego per Dei gratiam nunc exigo, annum pervenerit; quod rerum

earum, quæ circa obitum Leopoldi primo loco commemorati ante hos ſexaginta annos contigerunt, ita, probe meminerim ac rectius omnino conſcius ſim, quam quidem earundem, in quibus eventus ejusmodi ſimiles inſigniores fuerunt. Nam id ſane teſtari debeo, circa nuperrimum auguſtiſſimi Franciſci noſtri occaſum promptius mihi ſuccurriſſe ea, quæ ad Leopoldi quam reliquorum vices pertinebant: dum uterque ſucceſſore tam Joſephi nomine inſigni, quam vivo ſe in Regem Romanorum tempeſtive electo gaviſus ſit.

Sed hoc, quod ad memet propius quodammodo ſpectat, ceu levius quid in aliorum forte poteſt haberi oculis. Ita ſane eſt, quod lubens fateor, & longe majora ſunt, quæ ex toties repetitis imperantium funeribus fata Germaniæ noſtræ ſubeunda fuerunt, quæque mala iſtæ viciſſitudines ſecum tulerunt in dulciſſimæ patriæ detrimentum. Auguſta namque familia Auſtriaca, cui per tempus bene longum imperare orbi univerſo datum fuit, non modo in ſtirpe ſua Hiſpanica cum ipſo hoc ſeculo ineunte extincta eſt, ſed & altera illa apud Germanos & in conjunctis cum iisdem Hungariæ Bohemiæque regnis adhuc dum propagata, eandem fere ſortem experta eſt, cum ultimus hujus glorioſiſſimi ſtemmatis ſurculus, Carolus VI. ante hos quinque & viginti annos, ſine maſcula prole decederet. Per tria integra & quod excurrit ſecula inclyta hæc progenies Germaniæ noſtræ Cæſares ſuos dederat, adeo ut tredecim ex iſthac ſtirpe fæcundiſſima ſe invicem & nunquam interrupta ſerie exceperint. Quam raram & ſingularem felicitatem, haut abſque ſupremo nutu, ſed divinis omnino auſpiciis huic auguſtiſſimæ domui obtigiſſe, mihi interpretari fas ſit; licet ea quoque prudentiſſima gentis cura ſubinde interceſſerit, ut dignitatem iſthanc, quæ inter cæteras hujus univerſi præcipua & ſumma

ſumma cenſetur, legitimo electionis jure eorum, a quibus illud pependit, rite conſequerentur, eandemque ita continuo familiæ ſuæ ſervarent.

At funeſto iſthoc & dudum præviſo caſu obveniente, nulla in hanc rem cautione id fatum præverti potuit, & ſanctio ſic dicta pragmatica eum in finem condita, non tantum Germaniæ procerum, ſed & fere omnium totius Europæ Regum & imperantium adſenſu ſuſcepta & firmata, haut ita valida fuit, ut præcaveri licuerit ingentem iſthanc malorum & calamitatum congeriem, quam ex illo natam mox experiebamur. Opimam iſthanc domus Auſtriacæ hæreditatem, poſſeſſionesque illas providentia & ſollicitudine majorum, per longam inde annorum ſeriem acquiſitas, undique appeti, nunc bello indicto manuque armata vel ab iis etiam, qui de tuendis iſtis haut diu ante ſecuritatem omnimodam præſtiterant, invadi videbamus. Ipſa etiam imperialis illa dignitas tamdiu huic genti ſervata ſimul in diſcrimen adducebatur, & durantibus illis belli fluctibus, iſta, quæ in domus Auſtriacæ perniciem conſpiraverat, factio id operam dabat, ut ſublato ſuffragii jure, quod principe quodam loco, Bohemiæ regni intuitu, competebat Auſtriacis, in Cæſarem Auguſtum eligeretur Carolus VII. e familia Bavarica. Sed hunc durante ſuo imperio furore belli continuo jactatum, dum turbis iſtis minime finitis, poſt triennium mors inopina a ſtatione iſthac ſibi tradita decedere juberet, ac Germania ſic noſtra ſummo ſuo capite iterum privata eſſet, nova & alia rerum facies fatorumque ordo ſucceſſit: immo ad antiquum rediiſſe videbantur, qui pro majori ſuffragantium parte optionem fecerant, ut ex antiquiſſima gente Lotharingica ſatum prognatumque Franciſcum, hinc Tuſciæ ſive Hetruriæ magnum Ducem, cum hærede Auſtriacarum poſſeſſionum

sionum omnium legitima, Hungariæ Bohemiæque Regina, Maria Theresia, connubio felicissimo junctum, & ex ea novæ familiæ Lotharingo - Austriacæ conditorem auspicatissimum, pro dignitatis hujus summæ competitore cummaxime pari haberent, eundemque, post electionem juxta legum imperii præscriptum rite institutam & peractam, in throni imperialis fastigio collocarent. Sed ne sic quidem res Germaniæ imo totius Europæ satis in tuto fuit. Bellum illud ab anno hujus seculi quadragesimo cœptum per tres adhuc integros annos dubio & ambiguo subinde Marte decertandum erat: quo demum exhausti, qui utrinque in partem ejusdem venerant, ad id quidem adigebantur, ut per transactionem quandam Aquisgrani initam finis eidem imponeretur & isti bellorum fluctus per tempus aliquod sedarentur. Parum autem firmam & stabilem compositiomem istam, vel minus considerate & præcipitanter admodum initam, fuisse, continuata semper dissidia, suspiciones mutuæ, & quod denuo exarsit bellum longe truculentius satis testatum fecerunt. In novis autem hisce subortis Bellonæ certaminibus, cum ad contemplanda eadem paulo attentius animum adverterem, tantam omnino rerum vicissitudinem, tantamque animorum voluntatumque humanarum mutationem in iisdem deprehendere mihi licuit, ut mirari eandem satis nequiverim. Et quis una mecum id non miratus est, qui partes ante paucos annos mutuis unitisque viribus & animis junctas, nunc contra se stare & adversis signis manus conserere, cruentaque acie invicem depugnare vidit, & hos tam insperatos eventus animo superiorium temporum haut immemori paulo curatius volutavit?

Hanc alteram belli flammam, quæ primum in altera orbis plaga exarsit, originemque traxit ex asellorum arefactorum nundinatione, ex qua una pars præ altera pro lucro & quæstu majori

majori faciendo contendebat, mox in Europam noſtram cultiorem ſe diffudiſſe, immo mox etiam patriam noſtram corripuiſſe Germaniam, quis animo perſpicaciſſimo ſibi præcipere poterat? Attamen omnibus nobis improviſis hoc accidebat, ut maxima belli moles in eandem rueret & in Germania noſtra Martis præcipuum theatrum ſibi figeret, ubi furor ejusdem ita æſtuabat, ut per quinque vel ſex annos, quos bellum illud perdurabat, major humani ſanguinis copia profuſa ſit, quantam in aliis recentioris ævi geſtis, in tam brevi temporis ſpacio, effuſam eſſe haut quidem meminiſſe licet. Immo & hoc peculiare fuit, quod cum belli iſtius prioris rabies in partibus Germaniæ ſuperioris & auſtralis cummaxime ſæviret, iisdemque funeſta & exitialis eſſet: altera viciſſim inferiorem Germaniam & plagas ejus ad ſeptemtrionem ſitas mox invaſerit, in iisque ſedem ſibi fixerit, & ſcenam velut inſtruxerit: qua quidem re illud effectum eſt, ut & iſtæ provinciæ, quas prior illa ſyrraxis abs calamitatibus illis liberas & immunes præſtiterat, nunc eo magis iſthac miſeria premerentur, quæ ipſas quoque omnibus belli injuriis expoſuit, prædis & rapinis ſubjecit, depopulata eſt, ac vel opibus, viribus & facultatibus, quibus antea gaudebant, ſpoliavit & exhauſit. Duriora autem hæcce, quæ Germaniæ in provinciis nobis proxime vicinis ſubeunda fuerunt, fata ex eorum fuiſſe numero, quae citra omnem expectationem contigerunt, ultro mecum fatebuntur, qui ad curatiorem mentis trutinam eadem exegerunt.

Triſtiorum duntaxat eventuum ſpecimina hucusque in medium protuli, quibus Germania noſtra noviſſime ſubjecta fuit; ſed nec lætiora, quæ ſubinde interceſſerunt, fata prorſus omninoque reticenda ſunt, quoniam & in iis ille viciſſitudinum & mutationum humanarum ordo prorſus imperveſtigabi-

lis haut minus elucet, ſeque conſpiciendum præbet. In eo namque ſupremi Numinis curam providam & erga genus humanum benignitatem agnoſcere fas eſt, quod ille maxima ſubinde mala evenire permittat, ut bona ex illis eliciat: nobis autem documentum inde capiendum ſit, quod ſua ſapientia & hominum ſtultitia mundus hic noſter regatur. Admirandam hanc univerſi hujus gubernationem, quam ipſam a prima rerum omnium origine locum habuiſſe, ut ex omnibus ſacrorum ac profanorum, quibus gaudemus, ſcriptorum teſtimoniis facile colligimus: ita qui ex rerum noſtra memoria geſtarum ſerie, earundemque celeriter & ſubrepente turbato & in melius etiam ſæpe mutato ordine ſubdubitare & vel omnino haut agnoſcere velit, hæc eſſe ejusmodi, in quibus ſumma Dei & ſapientia & omnipotentia ſe nobis conſpiciendam præbuerit, hunc vel ſtipitem & bardum eſſe oportet, vel in cenſum eorum referendum, qui cœco & ſtulto cuidam fato, quod tamen non niſi fatui admittunt, omnia tribuere malunt. Licet autem exempla proſtent innumera lætiorum ejusmodi eventorum, quibus Germaniam ſubinde hoc ævo noſtro gaviſam eſſe meminimus, e cenſu tamen eorum unicum duntaxat in ſcenam proferam: quod & in hac temporis anguſtia protuliſſe ſat erit, ad id comprobandum, quod mihi ad rem præſentem probandam firmandamque incumbit.

Velim namque A. H. ut ad belli noviſſimo tempore geſti exitum mecum reſpiciatis. Quam inſperatæ & minus præviſæ, ut modo dictum eſt, cauſæ iſtæ fuerunt, e quibus iſta primum belli flamma exarſit; quam illa calamitas plures terras corripuit, quæ ab iſta longe remotas, liberasque & immunes ſe credebant; quam ambiguis ſæpe præliis dimicatum eſt, ut qui ſe jam victores putabant, e cruentiſſima acie inferiores & devicti

devicti demum discedere cogerentur: tam minus etiam expectata amicitia & concordia fuit, ad quam partes sanguinolentis istis inter se præliis decertantes utrinque redibant; cum nullam in bello salutem, nec spolia sat ampla inde se reportare cernentes, pacem, quæ optima rerum est, demum poscerent, ejusque conditiones quascunque ambabus, quod ajunt, ulnis amplexarentur. Ex pacis istius sic restitutæ commodis & fructibus, quos infinitos numerare liceret, unicum illud, quod omnium maximum ego quidem existimo, ob temporis angustiam commemorare integrum mihi sit. Illam ante sesquiennium hoc tam opportuno tempore susceptam electionem Regis Romanorum Josephi, hujus nominis secundi, quem nunc Cæsarem & Imperatorem semper Augustum colimus & veneramur, eo sane loco habendam esse, qui superiorem non admittat, mecum reputabunt omnes, quibus ex meliori luto Titan finxit præcordia. In isthoc autem tam arduo negocio cum omnis dudum in eodem procurando cura & labor hucusque inanis fuerat, tam faciles nunc eidem se præbebant, qui ut remoram eidem injicerent, omnem movere lapidem antea non dubitarant. Illi autem nunc mutuæ animorum conspirationi, quam novissima illa transactio & pacis compositio inter partes maxime dissidentes reduxerat, vel imprimis id tribuendum erit, ut nemo eidem refragaretur amplius, sed omnes in id coirent unanimes. A suscepto igitur in temporis articulo adeo tempestivo hoc maximi momenti negocio, id unice pependit, ut Cæsarem Augustum Josephum II. nunc habeamus concordissimis Novem-Virorum singulorum suffragiis, quod primum hac vice contigit, electum. Arduum hocce opus, facinus hoc adeo egregium & tantæ forte molis, quam Romanam olim gentem condere, si istis antiquioribus temporibus contigisset, haut defuissent, qui istud centum boum mactatione dignum putassent,

in isthoc sane Germaniæ, patriæ nostræ emolumentum, felicitatemque præsentem cessit, ut inopinum illud capitis hucusque sui carissimi fatum minus quodammodo possit dolere, anxiasque suas de successore ejus futuro sollicitudines deponere. Faxit autem jubeatque Deus O. M. ut diuturniori hac sua præsente gaudeat fruaturque prosperitate: nam perennem illam continuamque fore, sperare haut jubet ea rerum humanarum vicissitudo & inversus ille fatorum ordo, quo ob ipsorum hominum inconstantiam, fragilitatem, quin & pravitatem res hujus universi, ut hoc nostro tempore ita & inde a suo exordio successisse compertum habemus.

Post Germaniam nostram altera gens Ruthenorum erat, cujus mutationes varias, easque maxime commemorabiles, in exemplum afferre mihi constitutum fuit. A tempore excluſus, summa quædam ejus rei capita tantum hac vice tangere mihi licebit. Quam obscuriori imperium hocce licet maximum inter reliqua Europæ regna olim loco fuit habitum, tam illud hac nostra & mea seorsum memoria inclaruit, & caput inter cætera adeo extulit, ut proximum jam post Germaniam nostratem dignitatis gradum optimo suo jure sibi vindicet. Sed nec in crebiori sortis suæ mutatione, variisque, quas subiit, rerum vicissitudinibus ullum aliud post se reliquit. Contemplemur primum hujus imperii instauratorem & conditorem Petrum I. vere magnum, qui sane inter cæteros hujus seculi monarchas, me quidem judice, non habuit parem. Is namque primus in gentem æque ac familiam suam splendorem dignitatis Cæsareæ & Imperatoris Augusti, quem quidem cum patriæ patris nomenclatura & titulo longe suavissimo conjunctum voluit, ita intulit, ut non modo ipsius sui populi adsensu & acclamatione, sed & nunc omnium fere totius orbis nationum suffragio in

suc-

ſucceſſoribus ſuis eundem obtineat. Cum autem partae & acquiſitæ huic ſuæ gloriæ, heros iſte invictiſſimus haut diu ſupervixit & inde ab ejus ex hac vita diſceſſu intra quadraginta annos id ſepties omnino contigit, ut ſucceſſionem in thronum auguſtiſſimum & vaſtiſſimum imperium mutatam eſſe videre nobis datum ſit; quis inter tot viciſſitudines hoc tantum decus hautquaquam imminutum, ſed magnis majoribusque incrementis ſubinde auctum fuiſſe ſatis mirari potuit? Immo quis illud haut inſtar prodigii habuit, quod inter illos, qui in thronum ejus ex illo tempore ſucceſſerunt, quatuor omino extiterint Viragines, quæ per majoris temporis hujus intervallum vaſtiſſimi hujus imperii habenas moderatæ ſunt? Nam has inter, qui interceſſerunt mares, perpaucos tantum regiminis ſui annos compleverunt, quod ita breve temporis ſpacium vel ipſum maximis rebus gerendis minime capax fuit. Fœminis iſtis igitur heroidibus id cummaxime tribuere cogimur, quod ſupremus ille ſceptri imperialis honos a Petro magno primum genti & familiæ ſuæ illatus non modo immotus hucusque perſtiterit, ſed & quod majoribus ſub unaquaque progreſſionibus increbuiſſe eundem contueri queamus. Ut multa paucis dicam & complectar: Formidanda illa & inſuperabilis Ruthenicæ gentis potentia, viresque ejusdem olim minus cognitæ & exploratæ, ſub imperantibus iſtis quatuor heroinis fœminis in lucem demum protractæ, tantam iisdem exiſtimationem conciliarunt, ad eumque majeſtatis auguſtæ gradum & faſtigium easdem evexerunt, ut, qui inter cultioris orbis Imperantes Reges & Principes aliquo loco & numero ſunt, easdem vel colant & venerentur, vel vereant & metuant: ii quidem, ut amicitiam, foedera & commercia cum illis ambiant & jungant; hi vero, ne indignationem earundem incurrant, aut juſtas prævaricationis ſuæ pœnas dare cogantur.

Quæ hucusque de rebus cum Ruthenorum gente, ejusque Imperantibus ævo hoc noſtro geſtis, quam breviſſimis licuit, expoſita ſunt, id ſatis abundeque probant, quod in viciſſitudinibus, quæ ibidem contigerunt, vaſtiſſimum hocce imperium ſecundioribus cummaxime fatis gaviſum ſit. Sed cum non niſi ex durioribus gloriam acquirere liceat, quin triſtiores nonnunquam interceſſerint eventus, vix aliter a rerum hujus univerſi ordine & ſerie ſperari potuit. Vel ipſa, quæ per tot imperantium funera toties repetita fuit, ſucceſſio caſus ejusmodi ſecum tulit, qui nonniſi durioribus & minus ſperatis annumerari poſſunt. Quemadmodum autem omnia, quæ toti humano generi ſive triſtiora ſive lætiora eveniunt fata, nonniſi a ſupremi numinis, quod omnia moderatur, nutu & voluntate pendent, ita & in hac parte ſapientiæ & providentiæ ejus id tribuere, voluntatemque licet inperſcrutabilem in eo agnoſcere & humiliter exoſculari nobis relictum eſt. Atque ſic quoque omnino res habet cum Celſiſſima Sereniſſimaque domo Holſato-Gottorpienſi, quæ vel ipſa hac noſtra memoria auguſtiſſima etiam evaſit. Huic namque per felix Principis & Ducis ſui CAROLI FRIDERICI, gl. m. cum Petri iſtius magni majori natu filia, Cæſareæ Celſitudinis Principe, ANNA, initum conjugium, adeo in partem rerum Ruthenicarum venire datum eſt, ut easdem ſubinde vices, quæ iſti magno imperio obtigerunt, ita ſimul propius experta & adverſorum æque ac lætiorum fatorum una conſors facta ſit. In quibus tamen omnibus ſalva res domus nunc hujus auguſtiſſimæ ſubinde perſtitit & etiamnum perdurat, adeo quidem, ut omnis per Europam & Aſiam pars orbis ſeptentrionalis ſceptro & imperio Principum, ex ſtirpe Holſato-Oldenburgica natorum, hodie pareat eidemque ſubjecta ſit. Si quidem autem in his rebus nonnunquam obvenerunt, quæ minus expectata, quæ minus ſtabilia fuerunt, ea tamen

men cœco cuidam fato haut tribuere, ſed potius ad ea referre fas eſt, quæ provida & ſuperior quædam voluntas in his omnibus diſpoſuit, & porro ſic etiam diſpenſabit, ut ejus ſupremam gloriam, quæ in his cum maxime ſe conſpiciendam præbet, inde agnoſcore & humili mente venerari debeamus.

Sicuti autem in hucusque dictis, quæ hoc noſtro tempore obvenerunt, in maximi momenti rebus, quodammodo ſpectavimus, ita & in rebus minoribus, nam parva etiam cum magnis componere licebit, eundem fatorum ordinem locum habere, ex uno quodam eventu, eodemque ipſum hanc Muſarum noſtratium ſtatum propius attinente, inſperati cujusdam ordinis documentum aliquod adjicere & in medium proferre teneor. Namque hoc ipſo anno, immo hoc ipſo die centeſimus annus volvitur, ubi hanc noſtram Muſarum ſedem primum fundatam & ſollenniori ritu conſecratam eſſe bene probeque meminimus. Ad hujus rei memoriam grato pioque, in Deum O. M. & munificentiſſimos hujus almæ hucusque Nutritores, animo recolendam cum eſſemus parati, qui de beneficiis innumeris in ſacram omnem & civilem rempublicam, ex inſtituto hoc religioſiſſimo redundantibus, recte perſuaſi, deque iisdem in patriæ & vniverſi orbis commodum & emolumentum porro conſervandis, ſolliciti cummaxime fuimus. Sed vero & in hac cauſa tam inopinati caſus & eventus interceſſerunt, tantaque ſe objecerunt impedimenta & obſtacula, quæ deſtinationem ejusmodi prorſus ſufflaminarunt, & ut perſolvendam hancce pietatem noſtram in futurum & opportunummagis aliquod tempus differremus, iuſſerunt ac vel omnino neceſſitatem nobis impoſuerunt. Ex iſtis autem impedimentis, quæ ſat multa, eaque tanti fuerunt momenti, ut vel ipſi in his terris conſtituto ſupremo regimini ejusmodi viſa ſint, quae

deſti-

deſtinatam iſthanc a nobis pietatem omnino remorari potuerint, ea duntaxat hic adtuliſſe ſat erit, quæ in omnium facile oculos incurrunt, & deſidiæ atque incuriæ labem, quæ nobis forte impingi poſſit, hinc prorſus penitusque abſtergere debent.

Primum autem in his numerare licebit caſum illum inopinum & minime exſpectatum, qui ipſo hoc tempore ædificiis noſtris Academicis obtigit. Quæ enim ante hos centum annos e cœnobio, quod olim fratrum ordinis S. Franciſci ſat celebre domicilium fuit, in Academiæ tum noviter erectæ & ſingularum, quæ ita dicuntur, Facultatum uſibus inſtructa & præparata fuere auditoria, eademque ſat ampla & capacia, poſtquam ruinam dudum minata, ita demum collapſa ſunt, ut refici amplius haud potuerint; immo hoc ipſo anno, ne vicinis periculum crearent & lapſu ſuo incautos opprimerent, nobis ipſis cavendum fuit, vt ex ſuis fundamentis diruerentur. Quo ipſo haud nobis relictum fuit tempus, vt de novis Muſarum domiciliis exſtruendis vel cogitationes quidem idoneæ iniri potuerint. Ita autem Muſarum noſtratium templo diruto & in ruinis ſuis jacente, minime id competebat publicis noſtris gaudiis, ut in alienis ædibus, ſiquidem ejusmodi præſto fuiſſent, ſacra iſthæc jubila a nobis inſtituerentur.

Alterum quod ſolennibus iſtis ſecularibus a nobis peragendis remoram injecit, rite ponimus in fatis & mutationibus præcipuorum Academiæ noſtratis Doctorum, quos cum Apoſtolo vivos velut lapides reputamus, quibus inſtar & loco fundamenti illa ſapientiæ domus ſuperimpoſita, ipſa etiam Muſarum ſedes velut columnis ſuis innititur. In his eſt mors improviſa, quæ Virum illuſtrem & in partibus ipſi creditis doctorem prorſus egregium, *Dornium*, Academiæ etiam Pro-Cancellarium, in ipſo temporis articulo, ubi hæc ſacra noſtra

noſtra meditabamur, e conſortio noſtro eripuit, jacturamque ejus acerbius dolendi locum fecit. Vacua etiam facta & relicta eſt provincia, eloquentiam & poeſin publice docendi, quam inſigniores in vtraque arte magiſtri in hac quidem Academia noſtra inde a prima fundatione ſua cum maxima apud exteros exiſtimatione exornarunt, quæ hoc autem tempore parem iis & dignum in locum eorundem ſucceſſorem nanciſci haud potuit. Vtriusque autem & Pro-Cancellarii & publici Rhetoris, in ſermone ligato æque ac ſoluto bene exercitati, partes cummaxime requiruntur, in actibus Academicis ſolemnioribus celebrandis. Sunt enim verba facienda pro roſtris academicis, ſunt carmina pangenda, eſt licentia iis irroganda, qui ad honores, titulos & gradus ſic dictos Academicos adſpirant; & ejusmodi virtutis, eruditionis & doctrinae ſuae, quam documentis idoneis comprobatam dederunt, præmia ita meruere, quemadmodum iſthæc tribuendi ſingulis facultatum doctoribus, vi Cæſarei diplomatis, quo ampliſſimo hæc Alma noſtra gaudet, poteſtas facta eſt.

Sed non modo his DuumViris noſtra Muſarum ſedes in hoc temporis articulo orba & viduata exſtitit; ſed inter Doctores ejusdem reliquos & ſuperſtites, qui ſuam ad feſtivos hoſce jubilæi dies peragendos operam adferre debuiſſent, dum alius octogenariam, alius ſeptuagenariam ætatem ſupergreſſus, hinc ſenio confectus & morbis corporisque infirmitatibus vexatus, non potuit ſane illud ab iis vel exſpectari vel requiri, vt pares ſe præſtare potuerint extraordinariis hujusmodi laboribus ſubeundis, quos minime ſubterfugiſſent, quoad integris & vegetis adhuc viribus gaudebant. Quin & ipſe egomet in ſeptuagenario ætatis anno conſtitutus, & aſthmatico mâlo & angore ſubinde excruciatus, id probe perſenſi, quanto virium, quibus

non ita pridem gauiſus ſum, defectu jam nunc laborem, ubi vicarias aliorum partes, vt ſunt Pro-Cancellarii & hodie etiam Pro-Rectoris, ſuſtinere, & quod in his ſuperiorum juſſu mihi impoſitum fuit, & pro rei dignitate, ut volui & olim potui, executioni dare conniſus ſum. Proindeque, ſi in luſtrandis Academiæ noſtræ copiis, in cenſum & numerum ſemi invalidorum referar, id minime refragari poſſum. Nam in iis, quos libens lubensque humeris meis imponi patior, laboribus, id probe a me attendi & obſervari oportet, ut in lucidis illis, quibus ſubinde gaudeo, intervallis peragantur, & valetudinis exactior ratio a me habeatur.

Talis autem quum ſit præſens conditio docentium, illa etiam ex parte diſcentium & ſtudioſorum paucitas ac frequens minus, quam non ita pridem fuit, eorundem numerus, haud ſatis idoneus cenſeri potuit, ut cum iis feſtos agere dies & publicæ lætitiæ ſigna edere, pro rei dignitate videri potuerit. Iſtam igitur, quam annonæ caritas, qua ex aliquo tempore hæ noſtræ regiones premuntur, & aliæ forte quaedam cauſſæ a noſtra Muſarum ſede abſtulit ſtudioſorum juvenum frequentiam, ut aliunde ad nos redeat, rectius a nobis exſpectandam iuſſerunt rerum noſtrarum arbitri, qui & iſthæc jubilæi a nobis celebranda ſollemnia haud omnino ſublata, ſed potius in aliud & forte commodum magis aliquod tempus dilata eſſe voluerunt.

His igitur factis datisque nobis promiſſis, in ſpem haud vanam erecti ſumus, fore, ut ſalus Academiae noſtræ SVMMIS IMPERANTIBUS noſtris, abs præſentibus hic rerum arbitris ſuffulta & de meliori nota commendata, porro curæ cordique ſit: & Muſis noſtris id indulgeatur, quod in ſplendidiſſima

didissima ante hos centum annos inauguratione, conditor ejus CHRISTIANUS ALBERTUS cum solemniori & magnifica prorsus pompa iisdem tribuit, & maximum inde apud omnem posteritatem sibi nomen & decus conciliavit; quod intercidere haud sane permittent, qui ab isthoc suo proavo genus & sanguinem ducunt, & ad summum hodie domus Holsato-Gottorpiensis gloriæ apicem & fastigium peruenerunt.

Ipsum etenim Rectorem Almæ hujus suæ Magnificentissimum, munificentissimumque Nutricium, imperialis coronæ hæredem & in throno designatum successorem, Ruthenorum omnium magnum Ducem, PAULUM PETROWIZIUM, hoc animo, mente, voluntateque hac præditum ex testimoniis minime dubiis novimus, quod in teneriori hac sua ætate jam maximo in artes & litteras amore ducatur; quod ipsemet easdem colat, quod honoribus & emolumentis earundem faveat. Indolis autem & ingenii hujus præstantiam cum a Matre augustissima, CATHARINA II. Russorum omnium Imperatrice hodie glorioſissima, cujus in rebus magnis & maximis majestatem & regnandi prudentiam, in parvis autem & minimis circumspectionem & curam providam universus nunc orbis miratur, colit, suspicit & adorat, velut ingenitam possideat, eidemque in acceptis ferat: ipsaque autem illa Virago maxima & summa cum Filii hujus sui unici & carissimi, in ætate minori adhucdum constituti, curam adhuc gerat, atque sub ejus velut tutricis legitimæ nomine harum terrarum supremum etiam regimen administretur, ita quidem, ut maxima æque ac parva abs voluntate & nutu ejus ultimo demum pendeant: quis, inquam, dubitationem quandam ingrederetur, quin ea, quæ utriusque Imperantium nomine a supremo nunc terrarum nostrarum regimine nobis data promissa, nobisque spes facta est,

effectum ſuum ſortiantur, & res Academiæ noſtræ, hoc tempore quodammodo collapſæ, priſtino ſuo decori reſtituantur.

In contiguis ſane regnis & provinciis, ubi Imperatrix illa & Virago maxima, in ordinando conſtituendoque ibidem regimine ſtabili, arbitrium ſuum interpoſuit, auctoritatem ejus tantam fuiſſe experti ſumus, ut nemo ſapientiſſimis ejusdem conſiliis & deſtinatis refragari ſuſtinuerit. Omnia enim ad nutum & voluntatem ejusdem compoſita ſunt & etiamnum componuntur. Id namque, quod ſumma tutrix Celſiſſimi Principis & Domini noſtri, penes quan & rerum noſtrarum adhuc arbitrium eſt, CATHARINA pro ſapientia & prudentia ſua de ſalute & felicitate eorundem ſtatuit, non modo iſtarum regionum & terrarum incolæ patientes admiſerunt, decretisque ejusdem adeo ſalutaribus colla ſua ſubmittere haud quicquam dubitarunt; ſed & alios maximorum regnorum imperantes facile permovit, ut rata haberent hæc omnia, & eidem ſuffragio ſubſcriberent, quod in hujusmodi cauſſis cummaxime arduis a maxima CATHARINA ex primo arbitrio latum fuit.

Cum tanta igitur auctoritate, cum tanta providentia, dum Imperatricem noſtram res aliorum & exterorum moderari, iisque, quæ ſumme ardua & difficilia ſunt, pondus addere experti ſumus, & documentis illuſtrioribus perſuaſi: quidni in rebus noſtris, quæ aliorum intuitu levioris multo ponderis, ſed & curæ & tutelæ ejus longe propius ſubjectæ ſunt, jure ſperare & exſpectare poſſumus? Noſtris ſane ſtatutis, noſtrisque, quibus gaudemus, privilegiis & ſuo & maximæ ſpei filii nomine non ita pridem ſubſcripſit, eademque ut a majoribus & deceſſoribus lata & tributa ſunt, valida, ſarta, tectaque eſſe clementiſſime voluit & juſſit. Quid igitur de eo dubitemus, quin cimelium illud a majoribus & utriusque progenitoribus his

terris

terris noſtris illatum, porro ſervaturi & ad poſteros illibatum intemeratumque transmiſſuri ſint: quin defectibus, quibus hoc tempore, ut dictum eſt, premimur & laboramus, tempeſtive moniti medelam adlaturi, & priſtinum Almæ hujus nunc ſuae florem & decus velut in integrum reſtituturi ſint?

Adſpiret autem Deus O. M. omnibus iſtis deſtinationibus, quæ ab utrisque, Genitrice æque ac Nato ejus auguſtiſſimo, ad ſupremam Dei gloriam promovendam, in orbis univerſi & vaſtiſſimi imperii omniumque ad illud pertinentium terrarum emolumentum & egregium prudenti conſilio porro ſuſcipientur! Harumque regionum etiam hoc tempore Adminiſtratorem & Præſidem, Reverendiſſimum Sereniſſimumque, FRIDERICUM AUGUSTUM, Epiſcopum Lubecenſem, Ducem & Dominum noſtrum clementiſſimum, ejusque *Conjugem* & *prolem* Sereniſſimam, juxta cum integra domo Holſato-Gottorpienſi, omni benedictionis divinæ copia abundare jubeat! Principalis & ſupremi in Cimbria hac noſtra regiminis Adminiſtris ſingulis retribuat præmia, digna curis, laboribus & meritis, ab iisdem pro bono tam publico quam privato promovendo præſtitis; ſeorſimque Excellentiſſimi & providentiſſimi Academiæ noſtræ Curatoris conſilia & deſtinationes ita ſecundet, ut proſpero & felici ſucceſſu gaudeant! Sic demum ut totius orbis & harum quoque terrarum felicitatem, ita vel maxime hujus etiam Academiæ noſtratis ſalutem divinæ providentiæ peculiari ita commendatam cupio, ut illa quemadmodum per elapſum, ita per præſens & cœptum hodie novum ſeculum, ad omnium ſeculorum finem vigeat, perduret & floreat!

(o)

SERMO II.

IN ADMINISTRATIS PRO - CANCELLARII VICIBUS PUBLICE DICTUS, CUM D. XXIX. JUN. A. MDCCLXV. DIET. GERH. HOEPFNER, CANDIDATUS ET REV. CAPITULI HAMBURG. CANONICUS, J. U. DOCTOR RITE CREARETUR A JCTORUM ORDINE IN ACAD. KILIENSI.

Hoc ipso quem hodie vivimus die, *Vir illustris*, *Consultissime*, *Decane ordinis Tui spectabilis*, *honoratissime Collega*, hoc ipso, inquam, die, qui & in fastis memoriæ divorum Apostolorum Petri & Pauli sacer est, integra septem effluxere lustra, ubi & ipse pro rostris hisce Academicis memet stetisse probe memini; acquisiturus rite jura ista & privilegia Doctoris mei ordinis, quibus in hunc usque diem per Dei gratiam ab illo tempore gavisus sum. Spatium illud temporis bene longum est, fateor, & qui casus varii? quot non discrimina rerum inde nobis hic loci subeunda fuerunt? quot funera vidimus? quotusquisque est, qui e numero tum temporis viventium hodiedum superet? Sane ex iis, qui tum una mecum in partem istius sollemnioris diei venerunt, quos habui socios, quos collegas veneratus sum, vix unus alterque superstes est, qui ejus rei memoriam una mecum possit recolere. Equidem & ipse, si mecum repeto, quo vigore animi, quibusque corporis viribus tum temporis instructus fuerim, & hæc omnia cum vitæ præsentis statu comparo, vel memetipsum, siquidem haut prorsus omninoque de ponte dejectum, attamen præsidiis istis haut parum destitutum & ab aliquot retro annis, quod pristinum corporis firmumque robur seorsum attinet, insignia virium decrementa me passum esse sentio, atque hujusce imbecillitatis meæ probe mihi conscius sum. Sed

Sed quorsum hæc omnia ita prolixus commemoro? Haut alium sane in finem, quam ut, quæ sint instabiles rerum humanarum vices & metamorphoses, tum mihimet in memoriam revocarem, tum etiam, quod omni loco & tempore par est, aliorum oculis & contemplationi simul exponerem. Pertinet & huc, quod partes ejusmodi, quas quinque Viri, meis quidem laudibus majores, ex illo tempore sustinuerunt, ego sextus hodie subire jussus sim; idque dum & præter ordinem mihi obtigerit, vel ipsum quoque tantæ hujus vicissitudinis testimonium præbeat. Etenim post obitum illustris *Dornii*, Magnifici novissime hujus Academiæ Pro-Cancellarii, qui quidem & ipse inverso quodam fatorum ordine e consortio nostro ereptus est, ad augustissimum harum provinciarum regimen preces suas detulerunt, qui ex inclyto JCtorum ordine supererant, stiteruntque simul Candidatum, quem honoribus Academicis ornatum voluerunt. In hac autem causa cum intercedere debeat opera Pro-Cancellarii, locus autem ejus, qui in hac Academia nostra alioquin ordinarius est, adhuc esset vacuus, ad me partes istas deferre, nomine Celsissimi Augustissimique Principis & Domini nostri, supremo isti regimini placuit, adeo quidem ut obire easdem hodierno die peculiari clementissimoque mandato jussus sim.

Novum hocce officii genus, quod in hac rerum vicissitudine ita mihi impositum est, & ad quod exequendum directis ad me seorsum Illustris gravissimique Decani, ut modo audivistis, precibus invitatus sum, vel propter ipsius hujus diei pergratam mihi recordationem detrectare nec volui nec potui. Quem simul præsentem mihi stitit J. U. Candidatum, de eo non modo in litteris fiduciariis supremi regiminis testimonium mihi perhibitum est, quod in exantlatis consuetis examinibus talem

talem omnino se praestiterit, & istos legitimæ scientiæ numeros impleverit, quales abs legibus in hanc rem constitutis indignis quibuscunque Candidatis requiruntur: Sed & quod restabat, ut publicum aliquod eruditionis suæ specimen in cathedram Academicam proferret, in eo nihil in se desiderari passus est. De practico enim juris argumento, eodemque forma elegantiori typis exscripto modo differuit, propositamque sententiam in publico instituto conflictu tuitus est, atque eandem ab adversariorum obmotis dubiis mascule & pro virili vindicavit. Quæ omnia cum ita se habeant, atque sic omnia a prænobiliss. Candidato sint præstita, quæ ex parte ejus in præscriptis Academiarum legibus requiruntur, nihil erit, quod desideria ejus pro summis in Jure honoribus impetrandis morari possit & debeat.

Ne autem vile aliquod precium quis statuat, quod tituli, dignitates & honores nostri Academici secum ferunt, vel ipse quoque, qui præsens adest, digniss. Candidatus, exemplo nobis & documento esse potest. Is equidem in Canonicorum reverendiss. Capituli Hamburgensis numerum relatus, haut inde gradu & loco quodam eminentiori præ civibus aliis, nec plenis istius juribus & privilegiis gaudere, nec immunitatibus & emolumentis uti fruique potuit, nisi titulo & gradu Doctoris Academici, tanquam promerito virtutis suæ præmio condecoratus esset. Atque vel ita se res habet in capitulis Ecclesiarum cathedralium aliis in Germania nostra, ut jura ista Canonico omnino non tribuantur, nisi is vel avita vel personali nobilitate præfulgeat. Nobilitatem illam avitam, quam & gentilitiam dixero, equestris ordo seorsum sibi vindicat, & per hanc quidem, qui illa gaudent, ad integra Canonicorum jura admittuntur. Personalis autem nobilitas, quam honores Academici

demici rite collati tribuunt, altera ista haut minor est, adeo quidem, ut disputari possit, an melior sit, quem virtus quam quem genus nobilitaverit? Quod quidem alio tempore a me fieri potest. Hic nobis sufficit, quod utraque in casu præsenti & juxta leges & consuetudines Imperii nostri Germanici, pari, quod ajunt, passu ambulent.

Rebus ita habentibus, desideria vestra, Illustris spectabilisque Decane, dignissimeque Candidate, haut morabor diutius, sed pro facta dataque mihi potestate, auctoritate quidem Cæsareæ Majestatis, FRANCISCI I. Imperatoris Rom. Germanici, auspiciis autem augustissimi Cæsareæ Celsitudinis Principis ac Domini, PAULI PETROWITZ, Imperialis coronæ heredis, in throno Cæsareo successoris, omnium Ruthenorum magni Ducis, Hæredis Norvagiæ, supremi Ducis Slesvici, Ducis Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comitis Oldenburgi & Delmenhorsti, rel. Rectoris & Cancellarii hujus suæ Academiæ Magnificentissimi, Principis ac Domini nostri longe clementissimi, hujus inquam vice, loco & nomine Tibi, Vir illustris & consultissime, *Carole Friderice Wincklere*, Cancellariæ consiliario, in hac Academia Juris Antecessori & ordinis Tui h. t. Decano facultatem tribuo, ut quem in conspectum produxisti Candidatum eximium, *Dietericum Gerhardum Hæpfnerum*, Hamburgensem, & reverendiss. ibidem capituli cathedralis Canonicum, Juris utriusque Doctorem possis creare, creatum publice renunciare, omniaque eidem jura & privilegia conferre, quæ cum Academico illo honore & titulo conjuncta sunt. Quod ut fiat in Dei gloriam, Academiæ nostræ decus & splendorem, in ipsius denique Doctorandi emolumentum, ex animo precor!

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1782333827/phys_0037
DFG

SERMO III.

IN CASU SIMILI HABITUS, CIRCA RENUNCIATIONEM J. U. LICENTIATI, AUGUSTI JOAN. SIEDENBURG, LUBECENS. D. XII. OCT. A. MDCCLXV.

Ante hos tres & quod excurrit menſes, Vir illuſtris, Conſultiſſime, ordinis Tui Pro-Decane graviſſime, conjunctiſſimeque Collega, cum verba mihi Tecum in parili quodam caſu miſcenda eſſent, argumentum dicendi a ſingulari quodam temporis eventu a me captum eſſe memineris. Namque ipſo illo die ſeptem inde luſtra effluxerant, ubi bene recordabar, memetipſum olim iſtis honoribus Academicis mactatum eſſe, quos ut digno eorundem Candidato cuidam tribuere poſſes, Tu quidem a me petebas licentiam, & ego tum prima vice ſupremo juſſu conſtitutus eram, ut illam me intreprete acciperes. Ex temporis illius paulo prolixioris longiorisque intervallo viciſſitudines & caſus ejusmodi, propius quodammodo Academiam hanc noſtram attinentes, obveniebant, quorum ut rationem haberem, memoriamque eorundem quandam recolerem, haut prorſus a loco & re præſente alienum videri poterat. Brevius illud temporis ſpacium, quod intra hos tres menſes inde a nobis exactum eſt, tot ſane rerum novarum, tot minus ſperatorum eventuum feraciſſimum fuit, qui quidem & ipſi abs Academicis noſtris rationibus haut adeo remoti ſunt, ſed illas partim e longinquo partim vel proxime etiam ingrediuntur, adeo quidem, ut uberrimam iterum dicendi materiam mihi ſufficiant, nec eam longius petere aut diſpicere mihi opus ſit.

Inter ea autem, quæ intra trimeſtris hujus decurſum contigerunt, primo ac vel ſummo omnium loco ponendum erit fatum

fatum illud prorsus inexspectatum, neminique nostrum tum temporis sane prævisum, quod die XVIII. novissimi mensis Augusti Germania nostra subiit, luctumque & dolorem eidem attulit, cui non ipsa tantum sed & plures, qui in partem ejus venerunt, maximo suo jure indulgent. Amisimus namque fatali isthoc die supremum imperii nostri caput, patriæ patrem exoptatissimum, Cæsarem & Imperatorem semper augustum, FRANCISCUM Imum hujus nominis, quem vt supremum ita æquissimum rerum nostrarum arbitrum inde a viginti annis colere, suspicere & venerari nobis datum fuit. De casu hoc prorsus inopino licuit mihi paulo plura afferre in medium, cum ante paucos dies ex ista hac cathedra mihi verba facienda erant: nunc paucis de eo dicere mihi integrum sit, quomodo hæc maxima & summa rerum mutatio ad rationes etiam nostras Academicas pertineat. Equidem causa hæc ita spectari posset, ut ex longinquo duntaxat eandem ad illas referre liceat: attamen haut adeo prorsus ab istis remota haberi potest, ut relatio inter illas non omnino nulla ostendi queat.

Ipsam autem hanc rem paulo altius repetere fas est, atque vel id cummaxime spectandum, unde, quae una cum hac nostra in imperio hoc nostro Germanico florent, Academiæ ejusmodi privilegiis juribus & prærogativis gaudeant, quibus a scholis trivialibus, quin etiam abs Gymnasiis illustrioribus, & societatibus litterariis aliis, quæ passim hodie in usum venire gestiunt, ita distinguantur, ut hujusmodi quidem instituta multis parasangis post se relinquant. A suprema Cæsareæ majestatis auctoritate & gratia id unice pendere, ultimamque suam trahere originem, omnes mecum fateri oportet, qui justum rebus quibuscunque precium statuere didicerunt. Namque, ut cætera omnia taceam, in ipsis illis dignitatibus, titulis & honoribus, quos juxta legum præscripta in Academiis

noſtris decernere, & tanquam digna ſtudiorum præmia irrogare iis poſſumus, qui ſua eadem virtute meruerunt, id cummaxime elucet: qui ſane illud habent, ut non modo per totum hocce noſtrum imperium Romano-Germanicum, ſed & in aliis regnis & provinciis valeant, nemoque illis refragari aut detrahere poſſit, niſi qui pœnas iſtas graviores, quibus tributum illud Cæſareum privilegium munitum eſt, temere incurrere velit. Atque hoc quidem ejusmodi eſt, quod olim quidem circa primam Academiæ fundationem a regnante tum Cæſare Auguſto acceptum, nunc etiam pondus ſuum habeat, ſartumque ſemper tectumque ſervetur ab iis, quos novos ſubinde in thronum ejusdem ſucceſſores, poſt electionem eorundem rite factam, agnoſcere & venerari nobis datum eſt. Ita autem ex hucusque dictis id ſatis patere puto, quod ea, quæ in rationibus hiſce Academicis ante hos tres menſes a me peragenda fuerunt, in hoc brevi temporis intervallo eam omnino mutationem & viciſſitudinem ſubierint, ut mutata adeo ſcena & perſona principe, non amplius auctoritate ſumma glorioſiſſimi tum imperantis FRANCISCI, ſed nunc digniſſimi, qui in locum ejus ſucceſſit filii, JOSEPHI II. Cæſaris & Imperatoris Auguſti, quod ſperamus & vovemus feliciſſimi, nomine iſthanc rogatam & abs graviſſimo brabeuta a me expetitam licentiam, eidem tribuere & impertiri queam. Unicum igitur hoc ſatis erit, ad id probandum, quod res Academiarum non adeo viles & exiguæ ſint, ut prorſus ab iſthoc maxime momenti caſu remotæ & ſejunctæ haberi debeant, ſed quod omnino inter illas relatio quædam intercedat.

Sed præter hunc eventum cummaxime commemorabilem, aliud quid noviſſime nobis obtigit, quod ipſam hanc Academiam noſtratem longe propius attinuit, immo ipſum ejus ſtatum internum æque ac externum ingreſſum eſſe nobis fatendum eſt, mihique de eodem dicendi materiam ſuppedita-

re

re potuit. Nimirum die V. hujus menſis, a condita primum hac & ſollemniori ritu dedicata Academia hac noſtra Chriſtiano - Albertina, integrum decurrit ſeculum; ad hujus rei memoriam ſecularem recolendam cum omnino prompti paratique eſſemus, quos ſalus hujus Muſarum ſedis adeo tangit, & afficit, ut non modo de beneficiis, a Deo O. M. & munificentiſſimis ejusdem Nutritoribus per elapſum ſeculum in religioſiſſimum hocce inſtitutum benigniſſime collatis, grato pioque animo agnoſcendis & rite perperpendis, ſed &, ut ejusdem ad omnem poſteritatem & futura ſecula, in ſacræ & civilis reipublicæ commodum & emolumentum conſervationem, piis votis & precibus commendaremus & exoraremus, eſſemus ſolliciti. Sed tamen & ipſa hæc, quæ ante hos tres menſes nos adhuc ſpes aluit, adeo nos fefellit atque vana & inanis evaſit, vt piæ quidem huic deſtinationi noſtræ tam inſuperabilia impedimenta & obſtacula ſe objecerint, quæ & tanta ſupremo harum terrarum regimini viſa ſunt, ut celebranda hujusmodi jubilæi ſacra & ſecularis memoriæ ſollemnia in aliud & commodius forte aliquod tempus differre & rejicere juſſi ſimus. Ipſum igitur illud, quod nobismet & Academiæ noſtræ in hac parte obtigit, ex illorum itidem numero eſt, quod documentum præbere nobis poteſt, non ita eſſe hunc fatorum ordinem, rerumque humanarum vices comparatas, ut ea eveniant ſerie, qua animo nos eadem noſtro eventura nobis præcepimus: ſed id duntaxat in cauſa hac unice nobis relictum eſſe, ut, quo fata trahunt retrahuntque, ſequamur.

Hoc autem animo, hac etiam mente Te præditum exiſtimo, prorſusque confido, Vir Illuſtris & Conſultiſſime, cum forte & Tibi conſtitutum fuerit, ut in ſollenniori jubilæi pompa idipſum perageres, quod nunc ritu conſueto & ordinario exequendum eſt. Haut igitur hiſce deſtinatis

Tuis refragabor amplius: ſed pro data mihi per reſcriptum peculiare ſupremi in his terris conſtituti Regiminis poteſtate, quod & de conſuetis examinibus abs Candidato, quem produxiſti, rite exantlatis fidem mihi fecit, atque id tantum injunxit, ut inaugurali quodam ſpecimine, in cathedra iſthac publice defenſo, ſuorum in utroque jure profectuum aliquod adhuc daret documentum: idque etiam dum jamnunc ab illo præſtitum ſit, creditis iſtis mihi iterum Pro-Cancellarii vicibus rite defungi licet.

Suprema igitur ſacræ Cæſareæ majeſtatis, Imperatoris ſemper Auguſti hodiedum regnantis, JOSEPHI II. auctoritate, qua & parentis ejusdem glorioſiſſimi FRANCISCI I. nomine, in obeundo ampliſſimo, quod cum Pro-Rectoris partibus conjunctum eſt, Comitis Palatini munere, ipſo coronationis ejus die IV. Octobris, ante hos viginti annos, in hac alma prima vice me uſum eſſe memini; auſpiciis vero auguſtiſſimi Cæſareæ Celſitudinis Principis ac Domini, PAULI PETROWITZ, Imperialis coronæ hæredis, in throno Cæſareo ſucceſſoris, omnium Ruthenorum Magni Ducis, hæredis Norvagiæ, ſupremi Ducis Slesvici, Ducis Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comitis Oldenburgi & Delmenhorſti, Rectoris & Cancellarii hujus ſuæ Chriſtian-Albertinæ Magnificentiſſimi, Principis ac Domini noſtri longe Clementiſſimi, hujus inquam vice, loco & nomine, Tibi, Vir Illuſtris & conſultiſſime, *Car. Frid. Wincklere*, Cancellariæ Conſiliario, in hac Academia Juris Anteceſſori & ad hunc actum rite conſtituto Brabeutæ facultatem tribuo, ut, quem mihi ſtitiſti, Candidato prænobiliſſimo, *Auguſto Johanni Siedenburg*, Lubecenſi, Licentiati in utroque jure honores & privilegia conferas, eundemque nunc publice renuncies & proclames. Quod ſupereſt, cum primus hicce, poſt inchoatum non ita pridem Academiæ hujus noſtræ ſecundum ſeculum, actus promotionis publicæ ſit, ut ille plures poſt ſe trahat & litterata hæc noſtra respublica novis majoribusque ſuis incrementis gaudeat & efflореſcat, id ex animo voveo & precor!

SER-

SERMO IV.

DICTUS D. V. APRIL. MDCCLXVI. CUM FASCES ACADEMICI, PER SEMESTRE ELAPSUM A ME GESTI, IN SOLENNI PANEGYRI ITERUM PONERENTUR.

(*) *Viri generis ſplendore, dignitate munerum, meritorumque gloria illuſtres,*

Academiæ hujus conſcripti Patres, Doctores, Profeſſores & Facultatum Collegæ conjunctiſſimi,

Auditores & hoſpites cujuscunque Ordinis & dignitatis honoratiſſimi.

Tuque ſpes patriæ, noſtrumque delicium, generoſiſſimæ, florentiſſimæque juventutis ſtudioſæ corona!

(*) Speciminis loco compellatio ad præſentes, qui quidem adfuere, auditores directa, hic adjicitur. Equidem in reliquis etiam hujusmodi affatu uſus ſum; ubi tamen tum brevitatis cauſa, tum quod non ſuccurrat amplius, quos in cæteris auditores habuerim, & ſic affari datum ſit, hoc quicquid fuit, nunc prætermittere allubuit.

Com-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1782333827/phys_0043
DFG

Commemorabilem vitæ humanæ terminum per hunc, quem exegimus, annum attingere mihi datum est. Aetatis namque annum septuagesimum ingressus eram, eundemque inter varias valetudinis vicissitudines ante hos duos & quod excurrit menses rite complevi. Per ipsum hoc temporis intervallum animo oculisque meis cummaxime obversatæ sunt miræ rerum humanarum vices, inversusque circa easdem fatorum ordo; atque de eodem argumento jam tribus vicibus ex ipso hoc loco publice verba faciendi mihi nata est occasio. Ad crebram istius causæ contemplationem facile me adduxit, tum exemplorum raritas in ipsa, ex qua progenitus sum, paternæ stirpis familia, in qua per bina fere secula vix vnum alterumque numerare possum, qui ad istam provectioris ætatis metam pervenerit; tum quoque, quod istæ muneris academici mei partes, quæ interea temporis mihi subendæ fuerunt, & istam sermonum publice habendorum copiam suppeditarunt, præter ordinem cummaxime mihi impositæ fuerint. Sic autem ut mihimet, ita & aliis id usui fore persuasus fui, si illos crebriori harum mutationum, quibus nos mortales omnes obnoxii sumus, commemoratione, ad istas promptius lubentiusque subeundas una mecum adducerem.

Durante per hosce sex menses hoc ipso meo magistratu Academico, tot iterum casus obvenerunt, qui ad eundem scopum collinearunt, atque proinde novam uberrimamque de eodem porro dicendi materiam mihi sufficere possent. Sed cum chorda semper oberrare eadem, & crambem bis & aliquoties coctam denuo apponere, minus gratum sit & vel ipsi mihimet fastidium pariat; in hac quidem causa nolo iterum esse prolixior & eventuum complurium, quibus vel ipsum brevius hocce temporis intervallum feraciſſimum fuit, exempla proferre

ferre in medium. Equidem illa Regum, qui revera vel tales fuerunt, vel loco eorum voluerunt censeri, & vel ab aliquibus pro iis habiti sunt, quorum ab ineunte hoc anno jam tria numerare possumus funera, vel maxima & singularia fragilitatis & inconstantiæ sortis humanæ documenta præbuerunt, & aliorum e regia etiam stirpe natorum præmatura fata, quibus a Parcarum crudelitate vel inverso naturæ ordine vivendi filum abruptum est, hæc sane ejusmodi forent, quæ quidem, pro scopo mihi hucusque præfixo, considerationem mererentur, vix intra horarum aliquot spacium pro amplitudine sua pertractandam aut absolvendam. Sed vero hæc talia omnino sunt, quæ aliorum mentibus vel me non dicente facile succurrunt, dum & illi una mecum ad isthanc fatorum vicissitudinem attendere, eandemque in memoriam sibi revocare possint. Accedit, quod partes pro rostris hisce Academicis publice dicendi non adeo mihi ab isthac statione abeunti, sed potius meo in hac provincia successori digniſſimo hodie competant; cui diserrissimo Rhetori & in hac palæstra me longe fortiori & exercitatiori tempus præripere, mihi sane religioni esse debet; mihimet autem circa eundem ad novum hocce munus accingendum, paucula duntaxat præfandi locus relictus sit.

Antequam vero ad hoc, quod mihi hodie potissimum incumbit, negocium peragendum accedam, non possum non, meminisse eventus cujusdam, qui in novissimis mensibus haut multum ante hosce a me ponendos fasces contigit, atque vel ita e lætiorum numero fuit, ut curas & molestias cum hoc munere conjunctas multum levarit, exitumque ejus longe gratiorem hilarioremque reddiderit atque ejusdem ingressum. Propius omnino ipsa hæc res ad statum Academiæ nostræ spectat, cujus faciem, cum munus hocce humeris meis imponi paterer,

non ita ex omni parte beatam offendebam, ut de collata hac denuo dignitate adeo multum mihi gratulari posſem. Ubi circumſpiciebam, undique oculis animoque ſe ingerebant defectus, nævi & difficultates, quibus litteratam hanc noſtram rempublicam laborare, premique ab omni parte cernebam. Teſtor, quæ de his in oratione auſpicali dixi ſcripſique, & vel de his ex ſuperiorum voluntate publice dicere & propalam annunciare juſſus eram. Equidem de fatis iſtis nobis adeo iniquis e medio tollendis, ferendoque auxilio in rebus ad egregium noſtrum pertinentibus, ſpes ſimul a me facienda erat: ſed quotusquisque non una mecum hærebat anxius, quo aliquando demum tempore id eveniret, ut votis iſtis noſtris damnaremur, & ſorte, quam anhelabamus, meliori gaudere fruique poſſemus? Scilicet e longinquo hæc omnia a nobis expectanda erant, & ſummi Imperantes, a quorum nutu res omnis noſtra pendet, tanto viarum intervallo a nobis remoti & maxima aliorum negociorum & curarum mole obruti ſunt, ut ad opem rebus in arctis ferendam, ſi vel maxime vellent, ad certam horam vix ac ne vix quidem præſto nobis eſſe poſſint.

Sed vero ſpem hancce nobis adeo e longinquo adhuc viſam, quæ & alios nobiſcum ſuſpenſos tenuit, nuncius, qui ante duos fere menſes Petropoli advolavit, hanc, inquam, expectationem noſtram multum antevertit, & ab omni cura & ſollicitudine, qua adhuc premebamur, peropportune nos liberavit. Attulit namque is ſecum, cum prolixa gratiæ & munificentiæ Cæſareæ ſignificatione, ejusmodi juſſa, quæ vacillantes adhuc ſpes noſtras cummaxime erigere potuerunt. In his ante omnia collapſorum ædificiorum Academicorum e ruinis ſuis, quas alibi deſcripſi, reſtauratio, eademque protinus ſuſcipienda nobis injungitur; cumque ad opus hujus modi perficiendum

dum e rerum gerendarum nervo extraordinarii requirantur sumtus, & de iis nobis simul prospectum esse voluerunt, qui hujus rei mandata nobis imposuerunt. Juxta enim cum largissimo ter mille thalerorum dono, ad opus hocce tempestive inchoandum, designatio adjuncta est expensarum reliquarum, unde sumenda, ut integra hæc novi Musarum templi extructio rite absolvi, & justo tempore ad umbilicum perduci possit. Mactati munere tam magnifico a Magnificentissimo hujus Academiæ suæ Rectore ac nutricio, additisque jussis longe clementissimis & ad egregium nostrum apprime facientibus, quibus omnibus & Augustissima omnium Russorum Imperatrix, pro sua, quam pro filio unico, hærede & successore dignissimo, in minori autem ætate adhuc constituto gerit, cura indefessa pondus gravissimum, plenumque assensum tribuit; nihil nobis, quibus, in tanti beneficii partem venire datum est, aut prius aut antiquius esse potuit, quam ut devota gratissimaque mente gratiam isthanc nobis collatam & porro conferendam agnosceremus. Factum id est in litteris, ad ipsam Augustissimam Imperatricem & Russorum omnium Autocratora Catharinam, juxta ac Paulum, Natum ejus, hæredem & in throno & maximo imperio successorem, totius Russiæ Magnum Ducem, nostrum seorsim clementissimum Ducem & Dominum, hujusque Academiæ suæ Rectorem & Cancellarium Magnificentissimum, humillimo demississimoque calamo scriptis, & meo singulorumque Collegarum meorum obsequiosissimis manibus subsignatis: quas ubi ad aulam imperatoriam deferendas, ibidemque Cæsareis manibus tradendas diligentissime curavit Vir perillustris, qui rerum nostrarum curam prorsus singularem gerit, Musarumque hinc Cimbricarum dulce decus & præsidium est; hujus peractæ rei pluribus haut meminisse nec, quæ in isthac causa scripta sunt, in verbis repetere cupio. Tantum

autem de eventu prorsus commemorabili attuliſſe in medium haut invidiæ fore exiſtimavi; cum ex eodem inſignem rei noſtræ litteratæ mutationem in melius augurari, & defectuum omnium reliquorum medelam certam polliceri inde mihi liceat, ut ego vel hinc me beatum putem, quod id omne durante adhuc meo hoc magiſtratu contigerit: Ipſeque ego autem abs ſtatione & cathedra hac, quam ultima & ſuprema vice me conſcendiſſe confido, hilariori animo decedere, eamque ſpe meliori plenus honoratiſſimo Succeſſori relinquere poſſim.

Converto me igitur ad Te Vir Illuſtris, Conſultiſſime, doctiſſimeque, *Joannes Wilhelme Gadendam*, Jurium Anteceſſor, ordinis Tui Decane h. t. graviſſime, Cæſar. Celſitud. a conſiliis juſtitiæ, ut dignitatem hanc una cum onere, quod hucusque ſuſtinui, in humeros Tuos transferam. Age autem ſuperiorem hanc una mecum adſcende cathedram, & inſignia Pro-Rectoris de manu, quod ajunt, in manum a me accipe.

Antequam vero hoc fiat, præſtandum hoc Tibi ſollenne *juramentum* eſt, quod novis Pro-Rectoribus injunctum volunt Academiæ noſtræ leges.

His præmiſſis, primum cum loco hoc ſuperiori *epomidem* hanc Tibi cedo purpuream; hunc Principum ornatum regimini quoque Academico proprium voluerunt ſummi Academiarum conditores, ut Te Principum etiam permixtum ſcias Achivis, proximamque a ſummatibus litterato ordini competere dignitatem.

Deinde Tibi, Vir Magnifice, porrigo duo hæc *ſceptra* argentea, aureis coronis ornata, ſummæ jurisdictionis inſignia; quibus munita eſt magiſtratus academici auctoritas, quoties vel juſtitia, ea qua par eſt ſanctitate, adminiſtranda, vel jura & privilegia academica tuenda; vel pravorum hominum coer-

coercenda ferocia, ne quid noſtra litteraria respublica capiat detrimenti.

Porro trado Tibi *librum ſtatutorum*, illam regiminis Tui cynoſuram: & *album academicum*, cui inſcripta habentur nomina civium, qui Tuæ ſubjacent jurisdictioni, quorum numerus, ut indies magis magisque creſcat, tuoque ſub regimine inſigniter augeatur, ex animo precor.

En Tibi quoque, Magnifice Vir, *ſigilla Academica*, quibus publicanda ſunt diplomata, reſcripta, teſtimonia & quævis documenta academica, ut debitam ubique obtineant fidem, publicamque apud omnes habeant auctoritatem.

Tum & *claves* porrigo geminas, rite a Te ſervandas cuſtodiendasque, ut quibus deſtinatæ ſunt uſibus, ſuo tempore adhiberi & inſervire queant.

Tandem in Te, Magnifice Vir, devolvo quicquid honorum & dignitatum, ſed & quicquid laborum & curarum individuo nexu comitari ſolet Pro-Rectorale illud munus. Quicquid autem illud ſit, decus tamen illud eſt inſigne noſtri ordinis, quod velut depoſitum a me acceptum, una cum Tuis porro ſucceſſoribus, quemadmodum & a me factum eſt, pro virili tuendum fidaque manu cuſtodiendum Tibi eſſe memineris! Dixi.

(o)

SERMO V.

DE DIGNITATE ET PRAEROGATIVA PRO-RECTORIS ACADEMICI, SEORSIMQUE KILIENSIS.

CIRCA

ABITVM A MAGISTRATU ACADEMICO, PER AESTATEM A. MDCCXLV. GESTO, D. XXIII. OCT. E. A. RECITATUS.

Durante hoc meo magiſtratu Academico id contigit, ut Cæſareæ Celſitudinis Princeps, Sereniſſimus clementiſſimusque Princeps ac Dominus noſter, PETRUS FEODOROWITZ, Magnus Dux & hæres Imperii Ruſſici, hæres Norvagiæ, ſupremus Dux Slesvici, Dux Holſatiæ, Stormariæ & Ditmarſiæ, Comes Oldenburgi & Delmenhorſti, reliqua, Rector hujus Academiæ ſuæ Magnificentiſſimus, poſitis minoris ſuæ hucusque ætatis terminis, & ſubmoto, quod per id tempus in his terris conſtitutum fuit, vicario adminiſtrationis regimine, avitarum hæreditariarumque ſuarum regionum & provinciarum gubernaculum ipſe ac ſuis manibus tractare cœperit, fauſtoque id porro ſucceſſu, &, quod ſperamus vovemusque, ad canos usque Neſtoreosque annos moderaturus ſit. In feſtiva adeo lætiſſimaque harum rerum viciſſitudine, non potuit non jucundiſſima animum meum ſubire rei ejusdem recordatio, quam ipſe Cæſareæ Celſitudinis Princeps, cum egomet juxta cum aliis juventutis ejus principalis inſtitutioni hic loci admotus eſſem, occaſione quadam ſic ferente, haut adeo diu ante ſuum abhinc diſceſſum, ex me ſciſcitabatur; quam primum namque id eveniret, ordoque me tangeret, regendi civitatem hanc eruditam? quod poteſtate ejusdem vicaria ſub magnifico Pro-Rectoris titulo fieri illi haut ignotum erat. Quum ad quæſitum hocce, quod in cauſa non adeo

proxime

proxime eventura versabatur, a me regereretur, non licere mihi hic certi quid dererminare, siquidem res ejusmodi, quæ futuræ adhuc, atque multis proinde casibus ac vicibus obnoxiæ sint, a sola penderent summi numinis providentia; ille tamen instare & denuo ex me quærere, an igitur illud tum demum temporis evenire existimarem, quando ipse majorem ætatis mensuram consecutus, hisce suis terris & provinciis regendis jam par esset: quod cum ego non renuerem, atque, ut erectioris animi Principis & rerum suarum jam tum satagentis desiderio aliquem apud me feciſſe locum viderer, id forte contingere posse respondi, ut in eodem illo temporis articulo, dum ipsemet hic imperii sui habenas susciperet moderandas, & mihi cura pro litterata hac sua republica gerenda esset concredita: Hanc quidem significationem meam hilari serenaque, qua semper gaudebat, fronte exceptam, ipsi pergratam accidere, ex eo cognoscere debui, quod bono tum esse animo, ac de sua, quam alioquin testatus erat, prolixiori gratia quam certissimum me esse jussit. Cum causæ huic cum Principe ac Domino meo suavissimo tum quidem coram, sed minus tamen serio actæ, eventus nunc tam accurate responderit, quod inde a me conceptum gaudium, haut ita in sinu meo continere se passum est, quominus absentem nunc Principem ac Magnum Ducem meum per litteras de eodem monuerim, eumque sermocinationis, quam olim lusimus, memoriam haut intempestive ad animum revocaverim. Sed & aliud ex illo quondam Celsissimi Principis mei dialogo argumentum capere mihi licuit, quod hodie multam differendi copiam mihi præbere posset. Ex eo nimirum, quod ille Pro-Rectoris in subjectissima sua Academia dignitatem jam ita a teneris in animo suo volverit, conjectari omnino debui, eandem ab ipso jam tum eo omnino honore ac loco fuisse habitam atque etiamnum haberi, quem maximo

maximo quodam jure ſuo tenere atque tueri debeat, cui ſors illa obtingit, ut jure ſuo ac ordine purpura ejusdem conveſtiatur. Antequam igitur Pro-Rectoralia hæc inſignia, quæ primus, ipſo magno Duce ac Domino noſtro regnante, ego hucusque geſtavi, nunc ponam, & deſignato riteque confirmato meo tradam ſucceſſori, de dignitate & prærogativa Pro-Rectoris Academici, ſeorſimque Kilienſis, tantum verborum faciam, quantum anguſtior hic præfandi locus & occaſio, atque Veſtra A. C. O. E. D. patientia, quam per breviſſimum temporis intervallum, ſerio officioſeque a me exorati, indulgebitis, mihi permittent.

Cum argumentum, de quo dicere mihi conſtitutum eſt, primo intuitu propius ad memetipſum ſpectare videatur, exinde verendum mihi omnino eſſet, ne multam illud invidiam mihi contrahere poſſit: ſed cum res illa non adeo perſonam meam ſed potius officium reſpiciat; cumque dignitatem officii, non quod poſthac geſturus, ſed quod modo & in hoc ipſo temporis momento poſiturus ſum, propugnare decreverim; cum denique hoc ritu paracto, ſuperiorem hanc ſtationem, quam per elapſum ſemeſtre occupavi, mox relicturus, & ad inferiora illa ſubſellia, in quibus poſt ſuperiores Academiarum, quæ ita habentur dicunturque Facultates, mihi ac ordinis mei philoſophici collegis locus adſignatus eſt, me recepturus ſim: ab omni illa arrogantiæ atque vanitatis ſuſpicione actutum penitusque me liberatum iri confido; utque adeo non meam amplius, utpote cujus id parum ac nihil omnino refert, ſed officii, quod hucusque geſſi, unice hic rationen habuiſſe videar.

His igitur præmiſſis, prærogativam dignitatemque Pro-Rectoris Academici haut aliunde conductis, longiusque petitis ratio-

rationibus exornabo, ſed tribus tantum argumentis, quæ propria ſuggeſſit meditatio, quæque tamen rem omnem mihi conficere creduntur, totam hanc cauſam peroraturus ſum. Primum ex eo mihi ſumitur, quod auctoritas illa atque eminentia, qua in hac & aliis Academiis, quousque hanc perſonam ſuſtinet, Pro-Rector præfulget, non ſua duntaxat ſit, ſed illius potius, cujus in hac parte vicaria poteſtate fungitur. Luculentiſſimum in hac cauſa quoad almam hanc noſtram Kilienſem, ut aliarum Academiarum inſtituta, quæ tamen utplurimum nobiſcum conſpirant, taceam, ipſum Cæſareum erectionis diploma teſtimonium perhibet, cujus vigore cum ipſismet Principibus ac ſupremis dominis noſtris magnificentiſſimi Rectoris juxta ac Cancellarii dignitas ſervata ſit, id tamen relinquitur, ut pro ſuo arbitrio & beneplacito Pro-Rectores & Pro-Cancellarios, nec non alios officiales creare poſſint & valeant. Cumque hinc in tributis ad normam horum Imperialium codicillorum a Sereniſſimo munificentiſſimoque Academiæ conditore, Duce CHRISTIANO ALBERTO, privilegiis noſtris, & illud Pro-Rectoris munus & officium cum ampliſſima facultate conſtitutum, eidemque omnia, quæ ad reipublicæ litteratæ commodum & emolumentum faciunt, peragendi, atque in publicis privatisque collegii conventibus nomine ſuo præſidendi ſuprema poteſtas facta ſit, ſummum tamen ſibi in his cauſis omnibus tanquam Magnificentiſſimo reſervavit directorium, excepto illo duntaxat caſu, ſi forte cum Principe quodam juvene, qui ſtudiorum gratia in hac ſede Muſarum ageret, hoc quicquid eſt tituli & nominis honoris cauſa & ad tempus communicaturus eſſet; quod tamen per octoginta illos annos, quos alma noſtra non ita pridem exegit, eveniſſe, in faſtis Academiæ noſtræ haut reperimus. Sic igitur in procuratione rerum Academicarum Pro-Rector vices non ſuas

ſed longe ſuperiores gerit; cum quicquid agit, non ſuo, ſed ejus potius nomine agit, quem univerſa respublica ſupremum agnoſcit; cum omnia jura in civitatem ſuam eruditam exercendi exequendique poteſtas in ipſum collata eſt: nullus dubitandi locus hinc relinquitur, quin in his omnibus charactere repræſentativo gaudeat, quin radiis ejus corruſcet, cujus in hac cauſa partes ſuſtinet.

Alterum argumentum ex ipſa Academiarum conditione & indole mihi ſufficitur, ſiquidem eædem naturam corporum, quæ dicuntur, piorum & Eccleſiaſticorum in terris etiam Proteſtantium referunt, adeo quidem, ut perſonæ omnes ac ſingulæ ad easdem pertinentes, licet ne minima earum pars ſacris ordinibus initiata ſit, clericorum tamen juribus & privilegiis gaudeant perfruanturque; ipſaque hinc illa collegia, ut ſit in Saxonia, prælaturis Eccleſiaſticis, quas mediatas æque ac immediatas Germania noſtra agnoſcit, ex pleno & dudum recepto jure accenſeantur. Immo ſeorſum, ſi ſtatum Academiæ Kilienſis noſtræ reſpiciamus, illam ex ruderibus & reliquiis cœnobii Bordesholmenſis collectam & reſuſcitatam eſſe, fugere inter nos oportet neminem. Quod vero ſacri ejusdem conventus, qui divi Auguſtini regulis adſtrictus fuit, Præſul, cui ex temporis illius more nomen Præpoſiti hæſit, inter reliquos harum terrarum Prælatos, quos etiamnum dicimus, quique ſtatus adeo provinciales repræſentant, ſi non locum omnium primum, qui ratione originis & primævæ inſtitutionis illi debebatur, ſane haut ultimum tamen occupaverit, tot loquuntur teſtimonia & documenta, quorum poſt Venerandum *Henr. Mublium*, ſacrorum quondam in Academia & Eccleſia noſtrate primarium antiſtitem, pleniorem & omnibus fere numeris ſuis abſolutam copiam nobis fecit, dulce illud

Muſa-

Musarum hodie nostrarum decus & præsidium, Illustrissimus *Ernst. Joach. a Westphalen*, in immortali, quod & suomet nomini condidit, Monumentorum opere, ejusque volumine altero. Si autem forte sint, quibus circa argumentum, quod ex hac causa mihi ducitur, ita videatur, quod nimis longe illud petitum sit, & quod Kiliensis hodie Academiæ Pro-Rector illum Bordesholmensem Præpositum haut per omnia referat, nec continua etiam successione locum dignitatemque ejus occupaverit; siquidem centum & quod excurrit annorum præscriptione, hæc illius prærogativa non modo interrupta, sed & prorsus penitusque sublata sit: Huic illorum exceptioni ipsum illud, quod nunc tertio atque ultimo loco adducturus sum, argumentum satis occurret, omnemque circa hanc rem motam dubitationem facile dispeller.

Sic nimirum illa, quam modo commemoravimus, Academiarum indoles ejusmodi est, ut sortem istam monasticam superioris ævi non modo exæquet, sed & multis post se parasangis relinquat; & nemini id obscurum esse poterit, quantum discriminis inter rasam illam quondam monachorum catervam, & spectabile admodum hodie aliquod Professorium intercedat collegium, utpote quod Viri vario eruditionis genere & laude conspicui, quique & aliis subinde honorum encomiis & titulis pro seculi more insignes sunt, utplurimum constituunt; in quos tamen omnes non minus, ac in generosissimam nobilissimamque illam studiosæ juventutis cohortem, merum mixtumque imperium suum exercendi licet delegata, æqua tamen a judice & superiore domino potestas Pro-Rectori facta est. Et quid sibi volunt ornamenta illa reliqua, quibus illa Pro-Rectorum Academicorum dignitas undique cincta & condecorata est? an illa amplissima sacri Lateranensis palatii, aulæ Cæsareæ ac impe-

rialis Consistorii, quæ dicitur, comitiva, qua vi Cæsarei istius diplomatis ut in hac nostra, ita & in aliis recentius erectis Academiis donati sunt, qui splendidissimo in iisdem Pro-Rectoris munere funguntur, pro vano & inani strepitu habenda? & annon potius, quid ex illa communicata sibi Cæsareæ potestatis plenitudine Pro-Rector edicit, jubet, statuit, pronunciat, quas Cæsareo illo nomine gratias & indulgentias tribuit, erogat & impertitur, eam ilico vim, eumque omnino valorem consequuntur, ut non modo in his terris nostris, sed & per universum, qua patet, imperium Romano-Germanicum, decretis jussionibusque illis standum sit? & si quis nefario iisdem ausu contraire sibi haut temperaverit, in pœnam incursurus sit mulctamque gravissimam, qua sanctio illa firmata atque communita est? Quid dicam de cultu & decore, quo ex Cæsaris æque ac Principis, Academiæ suæ nutricii, voluntate & beneplacito in habitu atque incessu Pro-Rector conspicuus est, quoties pleno senatu suo academico stipatus vel in publicum prodit, vel actibus sollemnioribus, qualis hodiernus est, adesse &, quam gerit, Principis sui personam repræsentare debet? Quid sceptra illa gemina, quæ publici Academiæ ministri, suis etiam chlamydibus induti, præferunt? Quid purpurea illa auroque distincta, atque humeris adhuc meis circumdata epomis, quid birretum hocce sive mitra, utraque ex panno holoserico confecta? nonne hæc omnia & reliqua, quæ modo successori meo traditurus sum, ejusmodi insignia & ornamenta sunt, quibus ipsi Summates suam, qua in omnes sibi subjectos præpollent, auctoritatem publice atque propalam ostendere solent; quæque adeo cum suis in Academia vicariis communicare voluerunt, ut suæ in eosdem translatæ potestatis & jurisdictionis indubia testimonia & documenta præberent? An vero ejusmodi magnificentiæ insignibus quondam gavisus est Bordesholmen-

sium

sium Præpositus, & an iisdem gaudent, qui hodienum illustri illo Prælatorum nomine in his regionibus veniunt? Ego quidem me illud unquam vel ullibi legere, vel etiamnum contueri haut memini: id quod argumento mihi est, eidem, quæ in Pro-Rectore Kilienſi velut postliminio restituta & renovata est, Præpositi Bordesholmensis dignitati & prærogativæ, nihil omnino decessisse, sed eandem multis potius & plane eximiis accessionibus auctam esse.

Et hæc quidem hactenus ea sunt, quæ mihi mox in mentem venere, cum ex occasione modo superius commemorata, aliquid in hanc rem me dicturum esse apud animum constituissem; alios vero, quos in eodem hoc argumento versatos esse noveram, cum & hinc evolverem, & alio præterea argumentorum apparatu præsidioque usos mox deprehendebam; quæ tamen, quod ab instituto meo paulo remotiora sunt, huc non repetam. Quam vero illi hinc commemorant consuetudinem & observantiam, de sede & loco honoratiore, qui stante illa & talibus præsidiis subnixa Pro-Rectoris dignitate & eminentia, ex variorum locorum regionumque more usuque recepto eidem tribui assoleat; atque ubi pluribus, ut credibili majora, ita invidenda prorsus omninoque videbuntur, quæ de Parisiensis, Lovanienſis, Colonienſis & aliarum quarundam Academiarum præsidibus, concessaque iisdem proëdria, luculentis iisque fide digniſſimis testibus perhibentur: hæc sane & cætera illa omnia istiusmodi mihi visa sunt, ut, casu ita eveniente, locum ejusmodi honoratiorem, Pro-Rectori mihi oblatum & attributum, non modo occupandum sed & quibus id nunc præsidiis datum fuit, firmandum mihi tutandumque nihil quicquam dubitaverim; atque cum de vicaria summi ipsius Principis ac domini nostri auctoritate in hac parte cum maxime agi persuasum mihi sit, hoc quicquid in hac causa vel agitur, vel actum di-

ctumve est; per omnia gratum illi ratumque fore minime anceps hæreo.

Sed cum ad ipsum CÆSAREÆ CELSITUDINIS PRINCIPEM, unde orsa est, & nunc oratio mea redeat, prolixius illud vovendi, optandi, beneque precandi officium successori quidem meo relinquam; de faustissimo tamen ejusdem thalamo, quem novissime, duranteque & ad finem vergente magistratu meo Academico, cum incomparabili heroina, heroicisque virtutibus prædita Cæsareæ Celsitudinis Principe, CATHARINA ALEXIEWNA, universæ gentis Ruthenicæ delicio, sibique delecto ocello, ingressus est, non possum, quin, occasione hac ita ferente, publice gratulantium consortio partibusque me adjungam: atque cum tot suspiriorum, tot supplicationum, tot votivarum precum myriades, tum ab integra devotaque Cimbrorum gente, tum etiam ex ipsa hac cathedra Academica non ita pridem ad cœlum effusæ sint, quibus supremum Numen benignissime annuere velit: addo tamen & his jam ego votum simplex & breve meum, historico quidem sed & pio animo & spiritu conceptum. Faxit igitur Deus Opt. Max. ut faustis hoc susceptum avibus connubium, ex omni parte & tam auspicata prole beatum sit, ut surgens omnis nascituraque post me Historicorum gens & familia, exemplum inde capiat, quod apud omnem posteritatem celebret, vivamque ejus felicitatis imaginem, usque dum hoc durat ævum, in thori hujus contueatur natis natorum, & qui nascentur, ab illis!

His autem peractis nihil restat amplius, quam ut ultimam muneris mei partem expleam, dignitatemque hanc una cum onere, quod hactenus sustinui, in electum riteque confirmatum transferam successorem. Age igitur Vir summe Reverende & Amplissime, Dn. *Paule Friderice Opiti*, SS. Theologiæ, Græcæ & Orientalium Linguarum Professor publice ordinarie; conscende jam superiorem hanc cathedram & Pro-Rectoralibus nostris insignibus patere, ut a me investiaris.

NB. Reliqua ad eundem fere modum, quo id in præcedente sermone factum, a me peracta sunt: quæ proinde huc denuo repetere nihil opus, sed chartæ in hac parte compendium facere satius erit.

SER-

SERMO VI.

PRO DIGNITATE ET AUCTORITATE COMITIS PALATINI CÆSAREI, CUM MUNERE PRO-RECTORIS IN ACADEMIA KILONIENSI CONJUNCTA, VINDICIAS QVASDAM PER TRANSENNAM VELUT AFFERENS,

ITIDEM

IN ABDICATA PRO-RECTORATUS ACADEMICI PER SEMESTRE GESTI PROVINCIA, DICTUS AD D. XII. APRIL. A. S. MDCCLX.

Onus atque munus gerendi magiſtratus Academici, cum quocunque demum honore æque ac auctoritate illud conjunctum ſit, nunc lætiori multum & alacriori animo a me ponitur, quam quidem ante hos ſex menſes illud ſuſpicere licuit. Fuit hoc forte ex eo, quod provectior mea nunc ætas ab illa jubendi poteſtate abhorruerit, atque aliis, ut a teneris annis adſueta fuit, parere maluerit: ſive, quod partes eædem poſtrema vice a me geſtæ ejusmodi metum & horrorem mihi incuſſerint; utpote quæ, ob rei domeſticæ mala & detrimenta inde in me derivata, tam ingratam ejus rei memoriam apud me reliquerunt, ut omnem inde per quindecim fere annos lapidem moverim, quo minus in hanc tantam malorum lernam mihi denuo incurrendum eſſet. Invitus ergo quod ſubii, & hucusque onus ſuſtinui, quin alacriori lubentiorique animo a me ponatur, nemo dubitabit: mihique id pergratum atque acceptum eſſe debet, quod in humeros idipſum devolvere poſſim, qui ut meis longe juniores, ita & partibus iſtis gerendis pares magis & idonei, quin & adminiſtrandis iisdem ex domeſticis JCtorum præceptis exercitatiores longe & adſuetiores ſunt. Meo autem hoc penſo hac vice feliciter exantlato & abſoluto, grates quas poſſum maximas primo omnium loco rite perſolvo

persolvo supremo Numini, ejusque præstitæ mihi gratiæ & præsenti semper auxilio cummaxime; atque hinc præstantissimorum JCtorum nostratium prudentissimis consiliis in acceptis fero, quod stadium hocce ita feliciter emetiri mihi datum sit, ut cum sapientissimo Regum Salomone fateri illud & hodie ingeminare possim ac debeam: Finem hujus rei exoptatiorem mihi melioremque evenisse, quam quidem principium ejus atque ingressum. Ut igitur, fronte sic adeo hilari & lætiori animo, pedem in hanc nunc cathedram me promovisse A. H. intelligitis: ita id pace etiam vestra forte fieret, si de exantlatis a me laboribus, si de difficultatibus durante hoc tempore a me superatis aliquid commemorarem, antequam ab hac statione discedam.

Licet enim dicendi locus pro novi muneris auspiciis hodie dignissimo successori meo potissimum a me tribuendus sit; tantum tamen abs statione hac abeunti mihi relictum est, ut rationem reddam de iis, quæ obtigerunt, & in quibus id maxime a me cavendum fuit, ne quid vel respublica nostra litterata in universum detrimenti caperet, vel etiam muneri a me gesto ejusque seorsim dignitati atque auctoritati decederet. Casus hujusmodi innumeros, qui quotidie obveniunt, & cujus generis sunt liticulæ, inter cives Academicos dirimendæ, actionesque cum magistratu inferiori & civico, qui in iis admodum sibi placet & laureolam quasi captat, subinde reciprocandæ, non adeo hodie moror; sed momenti longe majoris causa est, eaque unica duntaxat, quæque, quantum ex Actis Academiæ cognoscere licuit, prima jam nunc vice se obtulit: de qua ut mentionem aliquam hodie inferam, occasione ita se ingerente prætermittere non possum. Ipsam illa Pro-Rectoralis muneris dignitatem & propius attingit cujus cum tuendæ

&

& ad succeſſores poſterosque omnes ſartam tectamque transmittendæ, præcipua illi cura rite impoſita eſt, qui partibus iſtis pro tempore fungitur. Hujus igitur quicquid fuerit, & quomodo adhibitis circa hanc rem ſalutaribus Juris peritorum conſiliis me geſſerim, atque ſic jura concrediti muneris pro viribus hucusque tutatus ſim, ut brevi & hiſtorico duntaxat penicillo ob oculos ponam, id auribus benevolis atque adeo minime ingratis a Vobis, A.O.O.H. exceptum iri minime dubito.

Quanquam arduum æque ac honorificum illud magiſtratus officium ſit, quod uti in hac noſtra, ita & in Germaniæ noſtræ Academiis reliquis, ſub Rectoris vel Pro-Rectoris nomine geritur: præcipuum tamen aliquod decus eidem conciliat, auctoritatemque ejus inſigniter auget & exornat dignitas ampliſſima Comitis ſacri palatii Lateranenſis, aulæque Cæſareæ ac imperialis Conſiſtorii. Addita hæc muneri Pro-Rectoris Kilonienſis inſignis prærogativa, variis juribus, privilegiis & beneficiis abſolvitur, quorum longam ſeriem prolixius enumerat ipſum erectionis diploma, quo indulgentiſſima Cæſaris Auguſti gratia hanc noſtram Academiam mox a ſuis auſpiciis munitam exornatam voluit. Hæc Cæſareæ fundationis charta uti publicis typis exſcripta dudum proſtat, ita & quid in illa contineatur, omnibus, quorum intererat, exploratum atque perſpectum eſſe, ut poterat ita debebat. Imo poterat & illud notum eſſe, quid ex illa communicata ſibi Cæſareæ poteſtatis plenitudine Pro-Rector Academiæ Kilienſis edicit, jubet, ſtatuit, pronuntiat, quas Cæſareo illo nomine gratias & indulgentias tribuit, erogat & impertitur, eam ilico vim, eumque omnino valorem conſequi, ut non modo in his terris, ſed & per univerſum, qua patet, imperium Romano-Germanicum, decretis juſſionibusque iſtis ſtandum ſit: ſi quis vero nefario iis-

 dem

dem ausu contraire aut infringere illas & quovis modo violare sibi haut temperaverit, eundem in pœnam incursurum mulctamque graviſſimam, 50 namque marcarum auri puri, qua sanctio ista Cæsarea firmata atque communita est.

Tantum autem Jurium Majestaticorum, quæ Juris publici nostri Doctores Reservata Imperatoris vulgo nuncupant, Academiæ nostræ collatum decus, cujus exercitium summus eorundem arbiter cum Pro-Rectore, qua Comite Palatino, seorsim communicatum voluit, qui & ejusdem usu per integrum nunc fere seculum tranquilla velut possessione gavisus est, durante hoc ipso magistratu meo, nihilominus in dubium vocari, atque actione in judicio non uno instituta, vel palam impugnari cœpit. Præbuit occasionem huic litigio, actus non a memet, sed a digniſſimo decessore meo, non diu antequam ab isthac statione sua abiret, rite recteque institutus & celebratus. Binos iste filios nothos, quos Nobilis quidam ex illicito concubitu sustulerat, pronunciarat legitimos, omnemque ab iisdem genituræ maculam absterserat. Egregium sane facinus, sed & quotidianum & toties quoties obvium, ut vel sexcenta ejusdem exempla prostent, in quibus hujus sibi delegatæ, secumque gratioſe communicatæ, potestatis Cæsareæ specimina Pro-Rectores hujus almæ Christian-Albertinæ ediderunt. Sed quod in casu præsente, ad æquas justasque genitoris interpositas preces, isti nunc filii sic legitimi facti omnium simul jurium successionis & hæreditatis bonorum paternorum, cum mobilium tum immobilium, participes redditi; quod cum parentis nomine arma etiam & insignia equestris ordinis, prout singularis glorioſiſſimi Imperatoris Caroli V. gratia eadem ante hæc bina, & quod excurrit, secula illustriori huic in his terris familiæ quondam tribuerat, una illis nunc collata; quod ipsi denique

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1782333827/phys_0062
DFG

nique, dum parens eorundem nobilis esset, hujusque juribus privilegiisque gauderet, nobiles effecti erant: hoc omne ejusmodi sane fuit, ut inde animis cælestibus tantæ exarserint iræ: atque ut in flammas mox illæ erumperent, id inopina & præmatura, quæ non multo post supervenit, mors indulgentissimi & sobolis suæ amantissimi genitoris effecit.

Per hanc enim cum filii isti, nostris quidem Cæsareisque auspiciis renunciati legitimi, prædivitis patrimonii hæredes & compotes redditi essent; atque id forte non adeo male habuisset illum, cui proximum aliquod, antequam isti natalibus suis restituti erant, jus succedendi in opulentam istam hæreditatem fuerat: aderant tamen ex famelica rabularum & causidicorum caterva, qui tam opimæ huic prædæ sibi inhiandum putarunt, ut si non integram illam, partem tamen quandam ejus, & velut demensum aliquod suum, quod vulgo haut exiguum putant, inde ad se raperent. Is sane, qui in hac quidem causa suam seorsum operam præstare voluit, J. U. Doctorem se venditare cupit, quæ sors unde illi obtigerit, adhuc quidem nescimus; sed injuriarum Doctorem apud suos illum vulgo audire, ex testibus non unis comperimus. Quin & in ipsa hac causa id satis nobis probatum dedit, se nonnisi animum injuriis plenum ad eandem attulisse. Haut enim sibi temperare potuit, quo minus in generosos illos juvenes, Cæsareo beneficio ab omni genituræ labe, vitio & culpa vacuos, ad quoscunque honorum & dignitatum gradus consequendos, habiles & idoneos redditos, imo & eadem suprema auctoritate Nobilium reliquorum ordini & consortio insertos & aggregatos, virus suum evomeret, eosdemque abjectissimo spuriorum seu bastardorum nomine compellare non dubitaret. Quin nec ab ipsa hac nostra Academia se abstinuit, ut & illam effreni

isthac sua lingua & licentia peteret; nihili ducens, quas illa per Pro-Rectorem suum, vicario Cæsaris nomine, in hac causa gratias elargita sit: utpote quas parum vel omnino nihil a se curari sibi licere putavit.

De homuncionis hujusce ita temere effusis injuriis, & meam & ordinis mei sententiam atque mentem paucis adhuc aperire licebit. Simulac de illis & de tota partis adversæ circa hanc causam molitione inaudivimus, mox cum protervo prævaricandi animo & studio, supinam etiam ignorantiam reperimus eorum, qui rem hanc ita inanem & levi adeo brachio sibi tractandam putant. Ignoratur namque ab iis, quanta sit Comitis Palatini Cæsarei dignitas & auctoritas; & si forte de eadem ab aliis fando quid audiverunt, ignorant tamen, quanta jurium & privilegiorum, ex Cæsaris suprema potestate & indulgentia ipsis tributorum, inter illos sit differentia. Quod nostræ Academiæ collatum, seorsimque Pro-Rectori ejusdem concreditum est Comitis Cæsarei palatii decus tam amplum tamque late patens est, ut ampliori vix forma in orbe Christiano id ulli Imperii Statuum communicatum & tributum, Vir Summus & ipse ad almæ hujus nostræ inaugurationem Ablegatus Cæsareus, *Jo. Adolph Kielmannus a Kielmanseck*, de eodem prædicet in oratione auspicali altera, postquam tenorem & verba ejusdem ex diplomate Cæsareo publice & propalam recitare & prælegere jusserat. Atque vel omnino ex vero illud dixisse maximum istum Musarum nostrarum conditorem statoremque, ex collatione privilegiorum hujusmodi aliis tributorum, satis, edocti sumus. Nam bina duntaxat conditarum post nostram, Halensis & Gœttingensis, Academiarum nobis licuit exempla reperire, quibus quæ obtigerunt jura & *ἀυχήματα* Cæsarea ex nostris velut ad verbum descripta, atque iisdem adeo per omnia

omnia similia deprehendimus. Apud Erlangenses Palatini Comitis honore gaudet Academiæ Cancellarius; quod uti a rationibus nostris diversum est, ita nec liquet, quis ille hodie sit, quo vicario utatur & jura sua administret? Gryphica sane antiquior illa Academia ad nostra usque tempora dignitate isthac comitiva destituta, aliquos velut ejusdem radios, abs Imperii post mortem gl. Cæsaris Caroli VI. vicario provisore, Rege Poloniarum, tanquam Saxonum Electore impetravit, ut Rector ejusdem una cum Concilio Academico Notarios item atque Poëtas laureatos Cæsareos creare possit.

Tacemus plura & reliqua, quæ tam insignem privilegiorum hujus generis diversitatem probant; Quæ autem nostræ in hac parte Academiæ prærogativa sit, uti ex ipso Cæsarei diplomatis tenore unice haurienda & dijudicanda est, ita mox, ut dictum, publice vulgata & iteratis typis passim descripta, vicinis minimum nostris haut incognita est debebat, nisi omnibus suam prodere velint ignorantiam. Quod etiam in aliis forte regionibus ohtinet, ut dignitas illa Comitis Palatini variis limitibus circumscripta sit, atque si vel Notarius creandus, vel alius quidam actus celebrandus sit, id non sine superioritatis territorialis Domini præscitu, concessione aut confirmatione fieri possit, atque valeat: de hoc quoque omnibus, quorum intereat, id ex centum fere annorum usu satis perspectum & exploratum esse poterat, hoc minime ad nos pertinere, sed potestatem Pro-Rectoris in hac parte prorsus illimitatam esse; etenim in nullo hucusque exercito actu intercessit Principis, Ducis & Domini nostri superioris auctoritas: ipsius potius auspiciis insignis hæc prærogativa a Cæsare impetrata, manusque adjutrices ad eam conciliandam præbitæ sunt, relicto hinc penes Pro-Rectorem perpetuo ejus exercitio, ut Cæsarei Diplomatis tabulæ id satis clare loquuntur.

In tanta eaque maxime vincibili ignorantia dum ubique versetur maledici & iniquissimi istius rabulæ molitio, quam nostris comitivæ imperialis juribus hucusque intentavit, inprimisque per latus legitimorum istorum a nobis renunciatorum juvenum, eadem impetere voluit: ita ex eodem capite arma hucusque in promtu fuerunt, quibus ejusmodi impetus repelli potuit: qua in re nec generosissimorum juvenum adhuc minorum rite legitimeque constituti curatores partibus suis defuerunt, & nos ut hucusque ita & porro parastatas habituri sunt, ut salva nostra eorundemque jura sint, & tanta adversæ partis protervia dignis promeritisque pœnis coerceatur.

Hic autem mihi nunc subsistendum, & quod restat, successoris mei ratio habenda erit. Relictis etiam brevitatis causa eidem votorum, precum & supplicationum rite persolvendarum partibus, id unicum adhuc agam, ut dignitatem hanc una cum onere, quod hucusque sustinui, in eundem transferam. Age igitur Illustris, Consultissime, doctissimeque Vir, D. *Carole Friderice Wincklere*, Jurium Prof. Publ. ord. Facultatis tuæ h. t. Decane, atque CÆSAR. CELSITUD. a Cancellariæ consiliis, in superiorem hanc mecum conscende cathedram, & insignia Pro-Rectoris more rituque consueto a me accipe.

Quæ huc pertinent reliqua, itidem ut supra Sermon. IV.

Sphalmata typographica, quæ hebeſcentem correctoris aciem effugerunt, B. L. ita emendare velit.

p. 3. l. 16. imbecillatatem, *lege* imbecillitatem.
p. 4. lin. 5. oculas *leg.* oculis.
p. 8. lin. 15. compoſitiomem *leg.* compoſitionem.
p. 11. lin. 17. poſt vocem inanis, *adde* & fruſtra ſuſceptus.
p. 13. lin. 4. a fin. vereant, *leg.* vereantur.
p. 14. lin. 2. a fin. ſiquidem *leg.* quandoquidem.
p. 15. lin. 5. agnoſcore *leg.* agnoſcere.
p. 20. lin. 10. quan *lege* quam.
p. 29. lin. 9. perperdendis, *leg.* penſitandis.
p. 32. lin. 15. ſubendæ, *leg.* ſubeundæ.
p. 47. lin. 13. ſuſpicere *leg.* ſuſcipere.
p. 48. lin. ult. poſt vocem dignitatem, *inſere* & jura.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1782333827/phys_0067
DFG

35. Coelestino, de potestate tutoria.
36. Coelestino, de rerum divisione
37. Coelestino de acquirendo rerum dominio.
38. Anglus, de militia romana.
39. Heare, sermones de tempore.
40. Jensen, de usu sortium in eligenda thalami consorte ad modum temerario paucula praefatus. etc.
41. Schaer, de coronatione imperatoria.
42. Scharf. de his quae juribus ac privilegiis fisci perpetuam accensentur.
43. Scharfenberg, de testamentis ordinandis.
44. Scharfenberg, de emtione et venditione.
45. Schaumburg, de testamento nuncupativo.
46. Ciesio. Sciagraphia judicii militaris criminalis ordinarii vulgo malefica — Kriegs Gericht.
47. Olafsen, de actionibus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1782333827/phys_0069
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1782333827/phys_0072
DFG

typographica, quæ hebeſcentem
is aciem effugerunt, B. L. ita
emendare velit.

p. 3. l. 16. in … *lege* imbecillitatem.
p. 4. lin. 5. oc…
p. 8. lin. 15. comp… …ompoſitionem.
p. 11. lin. 17. poſt v… …*de* & fruſtra ſuſceptus.
p. 13. lin. 4. a fin. vere… …tur.
p. 14. lin. 2. a fin. ſiquide… …idem.
p. 15. lin. 5. agnoſcore *leg.* a…
p. 20. lin. 10. quan *lege* quam.
p. 29. lin. 9. perperdendis, *leg.* …
p. 32. lin. 15. ſubendæ, *leg.* ſubeun…
p. 47. lin. 13. ſuſpicere *leg.* ſuſcipere.
p. 48. lin. ult. poſt vocem dignitatem, …

UB Rostock 05/4000

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1782333827/phys_0073
DFG